DOMINICI BRICHERI COLUMBI

JOANIS F.

PATRICI FINARIENSIS

DISSERTATIO JURIDICA

DE

JUSTITIA ET JURE

SEU

SCRUTINIUM ULPIANI JCTI,

NON VAPULANTIS IN DEFINITIONIBUS JUSTITIÆ
ET JURISPRUDENTIÆ

AD

L. X. D. ET TITULUM INSTITUTIONUM
DE JUSTITIA ET JURE,

ADVERSUS INTERPRETES.

LIPSIAE,
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.
MDCCXXXIX.

Μέγιϛον ἀρχὴ παντὸς Ariſtot. Elench.

Cujusque rei potiſſima pars principium eſt Cajus in l. 1. D. de O. J.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO VIRO

J. BASILIO CASTELVINIO

COMITI A CERVELLONE, MARCHIONI VILLAFORCARUM

HISPANIÆ MAGNATI, IN SUPREMO ITALICO SENATU CONSILIARIO, NOBILIQUE IMPERATORIS CUBICULARIO ETC.

DOMINICUS BRICHERIUS COLUMBUS

S. P. D.

R*Ecte augurari mihi videor* VIR EXCELLENTISSIME, TE *libenter excepturum hanc Diſſertationem meam, quam* ILLVSTRI TUO NOMINE *decoratam* TIBI *mitto. Etſi enim Italicis præſertim rebus moderandis in* SUPREMO *hoc* SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS

 SENA-

SENATU, MAJORUM *exemplo, pervigil aſſideas; tamen amœno litterarum otio ita delectaris, ut quicquid vacet, exiguum licet, avide in illo impendas. Norunt eruditi omnes quo fœnore; ac primum quidem ex elegantiſſimo illo Epiſtolarum volumine, quod edidit Gregorius Majanſius, Anteceſſor Valentinus,* a) *ubi ſermonis lepor doctrina ac eruditio* TUA *præfulgent: tum ex Ferdinando Ruizio Villegate, Burgenſi Poëta, quem ſingulari munificentia ex paterna* CASTELVINIANA *Bibliotheca evulgaſti.* b) *Quam ob rem quid mihi verendum, ſi* TUÆ *voluptati, aliorum exemplo, inſervire conatus ſum. Quamquam enim cum illis de elegantia contendere non audeam; tamen ob difficile ſcrutinium Ulpiani non vapulantis in diffinitionibus Juſtitiæ & Jurisprudentiæ, quod audacter ſuſcepi adverſus Interpretes, tenuitatem meam humaniſſime, ut ſoles, ſupplebis. Aderit etiam mihi clienti felix ille Ampliſſimi Mediolanenſis Senatus Præſes Excellentiſſimus,* CAROLUS COMES PERTUSATUS, *cujus illuſtris generis nobilitas, animi integritas, eruditio, et prudentia, ſe plurimum* TIBI *devinxit, excuſabitque, ſi &* TE *obſequio meo excolere confidi.* TE *ſervet diutius, ita damner votis,* TUA*que, ut par eſt fortunet* DEUS OPTIMUS MAXIMUS: *meque, Parentem meum, innata comitate, & amore amplectere & fove. Dab. Vindobonæ Kal. Maji. Anno Æræ Chriſtianæ cIↃ IↃcc XXXVIII.*

a) Gregorii Majanſ. Epiſtol. lib VI. Valentiæ Edetanor. typis Antonii Bordazar de Artâzu 1734. in 4to recuſ. Lipſiæ 1737.

b) Ferdinand. Ruiz. Villeg. Burg. quæ extant opera. juſſu Excell. D. J. Baſilii a Caſtelvi cuſa Venetiis typ. Joan. Baptiſtæ Albrizzi in 4to 1734.

DISSERTATIONIS ELENCHUS.

PRÆFATIO.

Argumenta dubitationis de allucinatione Interpretum adverſus Ulpianum, ob notatas Juſtitiæ, & Juriſprudentiæ definitiones §. I. *Occaſio Diſſertationis, ejuſdemque diviſio* §. II. *Rubricæ ratio* §. III.

SECTIO I.
DE JUSTITIA.

Juſtitiæ definitio ex Ulpiano, & in eam cenſuræ & placita Interpretum, & Sectionis diſtributio §. I. *Diviſio Juſtitiæ in internam & externam; Thomaſii, & Pufendorfii querela adverſus Ulpianum* §. II. *Eruitur ea diviſio ex principiis Stoicorum, etſi vulgo ab Hobbio petatur* §. III. *Exponitur juxta Hobbium, ex quo juſtitiam externam, tanquam finem juriſprudentiæ definit Pufendorfius, pluribus adſtipulantibus* §. IV. *Quatenus & quibus rationibus diſſentientes Interpretes prædictis opponantur* §. V. *Diluuntur diſſentientium fundamenta* §. VI. *Paullus L. 14. ff. ad l. Cornel. de Sicar. & L. quisquis C. ad l Jul Majeſt. illuſtrantur* §. VII. *Externa juſtitia non eſt finis Juriſprudentiæ, & Ulpiani vindicatio* §. VIII. *Indigitatur placitum de Juſtitia dea, ceu fine Juriſprudentiæ* §. IX. *Ejusdem occaſio & fundamenta* §. X. *Auctores ex quibus adſtruitur, quocirca aperitur allucinatio* §. XI. *Locus Heſiodi* §. XII. *Illuſtratur Heſiodus, & invertitur in Hotomanum* §. XIII.

Confirmatur inverſio ex alio ejusdem loco §. XIV. *Salvaghii opinio de Themide dea, ut objecto Jurisprudentiæ* §. XV. *Confutatur ex moribus Romanorum* §. XVI. *Romani neque Juſtitiam, neque Themin, neque Næmeſim conſecrarunt* §. XVII. *Nequidem novis religionibus inductis* §. XVIII. *Ratio cur antiqui virtutes conſecraverint, & ut deas habuerint* §. XIX. *Illuſtratur nonnullis veterum auctoritatibus* §. XX. *Locus A. Gellii non inducit differentiam inter juſtitiam deam, & virtutem humanam* §. XXI. *Fundamentum Hotomani, quod in Gellio conſtituebat, aperitur & refellitur* §. XXII. *Communis interpretatio Ulpiani in l. 1. D. de J. & J. adverſus Marcilium defenditur* §. XXIII. *Locus Demoſthenis refertur, & enucleatur* §. XXIV. *Locus Senecæ* §. XXV. *Nequit intelligi de juſtitia dea ab animi virtute diverſa* §. XXVI. *Confirmatur aliis auctoritatibus* §. XXVII. *Cur confutata non ſit hæc opinio ex Juſtiniani religione? & tranſitio ad inveſtigandam Ulpiani philoſophiam* §. XXVIII. *Romani Stoicæ præſertim, vel Peripateticæ philoſophiæ ſtudebant* §. XXIX. *JCti, & præcipue Ulpianus Stoicæ* §. XXX. *Diviſionis juſtitiæ in univerſalem & particularem prætereundæ ratio* §. XXXI. *Tranſitio ad aliquot principia dialecticæ Stoicæ* §. XXXII. *Principium Stoicum de virtutibus, earumque diviſione* §. XXXIII. *Aliud principium de affectionibus, & præſertim voluntate* §. XXXIV. *Bonæ affectiones derivantur a contemplativis ſcientiis, & referuntur ad virtutes* §. XXXV. *Ex prærelatis principiis aperitur mens Ulpiani in definitione juſtitiæ* §. XXXVI. *Degiturque quænam juſtitia conſtituta ſit objectum jurisprudentiæ* §. XXXVII. *Elevatur objectum, & attenuatur* §. XXXVIII. *Reſpondetur objecto* §. XXXIX. *Novum ex Cicerone dubium, & differitur de proprietatibus virtutum juxta Stoicos* §. XL. *Dubio ſatisfit* §. XLI. *Florentina lectio revindicata* §. XLII. *Reliqua definitionis verba expendere inſtituitur* §. XLIII. *Ex-*

plican-

plicantur, & definitionis interpretatio confirmatur, excuſaturque Noodtius §. XLIV. *Qua ratione Noodtius merito notari potuiſſet, & quorundam Interpretum error* §. XLV. *Wæchtlerus perſtringitur, & Contii diligentia commendata* §. XLVI. *Definitionis intellectus conjectatus etiam ex Baſilicis. Gloſſarum, Marcilii & Huberi &c. reprobatio* §. XLVII. *Cenſuræ aliorum Interpretum recenſentur, & exploduntur* §. XLVIII. *Uſucapio ab effectu non definita; nec iſte mos definiendi veterum JCrum evincitur* §. XLIX. *Jani a Coſta poſtrema interpretatio excuſſa* §. L. *Noodtius rurſus notatus, & confutatus* §. LI. *Inconſiderantia Wæchtleri quod ad Noodtium: Conatus Noodtii amplius aperitur, & exploditur* §. LII. *Wæchtlerus confutatur* §. LIII. *Turnebi laus, cui genuina definitionis interpretatio primum debetur* §. LIV. *Concluditur prætermiſſis aliis juſtitiæ diviſionibus* §. LV.

SECTIO II.
DE JURE.

Connexio hujus ſectionis cum præcedente, & præludia erroris Interpretum in notanda & explicanda jurisprudentiæ definitione §. I. *Accurſii, Lycklamæ, & Marcilii in rubricam cenſuræ* §. II. *Rubricæ ratio, & aſſumuntur tres jurisprudentiæ definitiones, a Ulpiano traditæ* §. III. *Proponuntur* §. IV. *Vera, non ſimulata philoſophia non eſt Ulpiano Jurisprudentiæ definitio* §. V. *Confirmatur* §. VI. *Jurisprudentia abſciſſo philoſophiæ nomine non venit, contra Heineccium* §. VII. *Grammaticorum ſtricturæ ob primam Ulpiani definitionem, Interpretibus moleſtæ, & illuſtratio Juſtiniani in Novella LIX.* §. VIII. *Ob Ulpinianeam etymologiam, a Stoicis principiis derivatam, Grammaticorum ſtricturæ frigeſcunt. Menagius aliique notantur* §. IX. *Proponitur objectum, quo minus adhuc jus a juſtitia appelletur* §. X. *Conatibus Interpretum*

pretum rejectis, reſpondetur objecto, aperiturque e Stoicis etymologiæ Ulpianeæ ratio §. XI. *Tranſitio ad ſecundam definitionem. juris & æquitatis differentia firmatur; ob quam nonnulli negant jus ſcriptum eſſe æquitatem* §. XII. *Opinio van der Muelen, & Senecæ locus excuſſus* §. XIII. *Locus Ariſtotelis, cui inhærebat Muelen, in eundem inverſus* §. XIV. *Jurisprudentia non complectitur ſummum jus adverſus Cujacium, & van der Muelen* §. XV. *Ex varia juris acceptione exploditur difficultas, & ſecunda definitio explicatur* §. XVI. *Excitatur objectum, eique occurrendo, illuſtratur definitio* §. XVII. *Quorundam Interpretum ſcommata in poſtremam Ulpiani definitionem* §. XVIII. *Aliorum tentamen pro ſalvanda definitione Ulpiani. Conringii, & Scholiaſtis Baſilicorum interpretationes exagitatæ* §. XIX. *Item Bynkershœkii, & Huberi* §. XX. *Confutatio Bynkershœkii* §. XXI. *Conringius in ſuſpicionem actus, licet juris divini notitiam jurisprudentiæ convenire non abnuatur* §. XXII. *Conringius confutatur* §. XXIII. *Placitum eorum, qui per τὸ divinarum & humanarum rerum notitiam, omnes res & ſcientias complecti aſſerunt* §. XXIV. *Oppugnari inſtituitur ob teſtimonium Scævolæ de facili Juris Civilis cognitione* §. XXV. *Confirmaturque exemplis* §. XXVI. *Confutatio dilemmate concluſa* §. XXVII. *Lycklamæ excogitatum* §. XXVIII. *Fundamento deſtituitur* §. XXIX. *L. 2. ff. de legib. l. 1. ff. de SCto Maced. adverſus commentum Lycklamæ illuſtrantur* §. XXX. *Proponi informatur noſtra definitionis expoſitio* §. XXXI. *Aſſumitur Juris Naturalis neceſſitas ad Juris Civilis notitiam* §. XXXII. *Rerum divinarum nomine Jus Naturale ſignificavit Ulpianus* §. XXXIII. *Demonſtratur* §. XXXIV. *Vindiciæ pro Ulpiano contra Thomaſium, & Leyſerium.* §. XXXV. *Calumniæ Turnebi in Ulpianum argumenta. & Apollonii Tyanei obſcurus locus de Pythagoræorum invidia adverſus Stoicos* §. XXXVI. *Explicatur* §. XXXVII. *Turnebi convicia exploduntur, redarguiturque, quia non advertit Jurisprudentiam eſſe ſapientiam* §. XXXVIII.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

§. I.

Argumenta dubitationis de allucinatione Interpretum adverſus Ulpianum, ob notatas Juſtitiæ, & Jurisprudentiæ definitiones.

QUum adverterem ſæpenumero judicium & Dialecticæ cognitionem deſiderari apud Interpretes, eundemque ſuſpicione faſtus arrogantiæ & invidiæ cenſorio ſupercilio perſtringi ob eas Juſtitiæ, & Jurisprudentiæ definitiones, quibus cum in Pandectis, tum in Inſtitutionibus uſus eſt Juſtinianus, demirabar Tribonianum, Adſtitesque, cur illas potius in Imperiales libros retuliſſent, quam alias; ſiquidem ex tot veterum JCtorum voluminibus plures, quaſi centones excerpere poterant, ad explicandam Juſtitiæ, & Jurisprudentiæ naturam. Suſpicari non audebam viros Magiſtratu, Magiſterioque inſignes latuiſſe, ſi quae eſſent harum incommoda, inconcinnitatesque; neque tutum mihi videbatur aſſerere, vanitate quadam ductos negotium nobis in ipſo artis extradendae veſtibulo comparare voluiſſe, cujus evitandi in jure veteri enucleando omne opus Imperator commiſerat. Remeabam itaque crebro ad eas definitiones, ſaniora appetens conſilia; & veritus in pluribus perſpectam Ulpiani modeſtiam, artisque noſtrae peritiam, ejusdem mentem devinandam nobis reliquiſſe veteres Interpretes arbitrabar.

§. II.

Occaſio diſſertationis, ejusdemque diviſio.

Interea reluctabatur animus incautas, ut ſentio, aliorum vias inire, qui hæc prætergreſſi fuerant. Fixum namque habebam doctiſſimi JCti Antonii Contii oraculum: a) cœpiſſe, ſcilicet, Juſtinianum a juſtitia nos edocere, tanquam proprio totius legitimæ ſcientiæ fine, ut eo cognito, ſicut ſagittarii viſo ſcopo, certiore curſu ad eam tendamus; hinc præclare mecum actum iri, qui nec finem noviſſem, nec ſcientiam. Quam ob rem in tanta utriusque definitionis enucleandæ neceſſitate, demum aggreſſus ſum opus, ſæpe informatum, totidemque intermiſſum. impellebar præclariſſimi viri exemplo, qui vulgo habitam ſalebroſam Juris Naturalis definitionem, quæ ejusdem Ulpiani eſt apud Juſtinianum, b) feliciſſime explicaverat. c) Atque quum jam mihi bene ceſſiſſe, Deo dante, has curas confidam, hac Diſſertatione illarum definitionum explicationem et rationem reddere decrevi, quam binis Sectionibus comprehendam, ut primum de Juſtitia, tum de Jure cognoſcatur.

§. III.

Rubricæ ratio.

Nullus vero frontem caperet, obſtrigilletve, quod Ulpiani cauſſam agere aduerſus Interpretes audacter in rubro propoſuerim: quandoquidem ſatis oſtendiſſe mihi videor vix credi poſſe, quod plerique aſſerunt, eas nimirum definitiones non bene cohærere dialecticæ, ejusdemque regulis; ceteri enim Interpretes in Ulpianum inclementius invehunt. Quum itaque eorum, qui humaniores ſunt, una hæc ſit opinio; & hinc easdem ita explicent, ut revera in dialecticam ſemper impingant, etiam a ſuis partibus abeſſe debui. Res quidem ob tenuitatem meam inſida eſt, et periculi plena; præſertim quia, vel monente Caſſiodoro, d) *nec ſemper tutus fuit, qui cum numeroſo hoſte contendit;* audere tamen juvat:

-- Θαῤ-

a) Cont. in not. ad rubr. tit. I. Inſtit. de Juſt. & Jur.
b) in pr. Inſtit. de Jur. N. G. & Civil.
c) Diſſ. Juridic. qua Juſtinianus in definiendo Jure Naturali, & diſtinguendis Juribus ſummus artifex &c. Præſide Gottlieb Sturmio, habita Vitembergæ 1733.
d) Caſſiodor. Variar. lib. VIII. 10.

- - Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
Ἔργοισι τελέθει a)
- - Eſt etenim potior vir fortis & audax
Omnibus in rebus - - - - -

& nihil magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur. b)

Errabimus potius, quam perducet quiſpiam.

SECTIO I.

DE JUSTITIA.

§. I.

Juſtitiæ definitio ex Ulpiano; & in eam cenſuræ & placita interpretum, & ſectionis diſtributio.

Definit Juſtinianus c) ex Ulpiano d) juſtitiam in hæc verba: Juſtitia eſt *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* At quoniam in diverſa prorſus abeunt Interpretes; adeo ut non modo de definitionis, quam etiam de definiti convenientia & proprietate diſputandum ſit; ſiquidem alii, nova invehentes placita, negant juſtitiam internam, quam reſpexiſſe videtur Ulpianus, ad Jurisprudentiam pertinere: alii vero obſoleta nimium refricantes, definitionis præſertim majeſtate moti, deam quandam juſtitiæ definiri illis verbis ſerio contendunt; ſentio mihi demandatum eſſe, ut definitum manifeſtem & defendam, priusquam JCti definitionem illuſtrare aggrediar, et removere moleſtias, quas Interpretes, aliarum ſcholarum placita attemperando, eidem attulere. Scilicet cumprimis jure merito internam juſtitiam Jurisprudentiæ propoſuiſſe: tum non eſſe deam quampiam juſtitiam, ab animi virtute diverſam, quæ heic definiatur. Poſt hæc, indagata Ulpiani philoſophia, indeque nonnullis principiis petitis, eandem enucleabo. Denique oſtendam quantum illius elegantiæ detrahant, ad everſionem usque, quæ coacervarunt Interpretes. hæc præſenti ſectione peragam.

B 2 §. II.

a) Homer. Odyſſ. H.
b) Sen. de Vit. Beat. cap. I.
c) Princip. Inſtit. & l. 10. ff. de Juſt. & Jur.
d) Vlp. lib. I. Regular.

§. II.

Diviſio juſtitiæ in internam & externam. Thomaſii, & Puſendorfii querela adverſus Ulpianum.

Penes pleroſque igitur invaluit opinio, juſtitiam bifariam conſiderari poſſe, *perſonarum* nimirum, & *actionum;* ſeu ut alii malunt, a) *internam*, & *externam;* atque hinc arrepta occaſione, Ulpianum inſimulant adaequatam juſtitiæ definitionem non extradidiſſe; imo eam, quæ prorſus ad jurisprudentiam non pertinet, cum legibus & ſcientia ac doctrina juris obtineri nequeat; b) vel, ut eſt Puſendorfii ſermo: c) *patere definitionem juſtitiæ, Juriſconſultis Romanis familiarem, qua eam dicunt* conſtantem & perpetuam voluntatem ſuum cuique tribuendi, *ſpectare ad juſtitiam perſonarum, non actionum. id quod ſatis inconveniens videtur, cum jurisprudentia maxime circa juſtitiam actionum ſit occupata; juſtitiae perſonarum nonniſi obiter, & paucis in materiis rationem habeat.*

§. III.

Eruitur ea diviſio ex principiis Stoicorum, etſi vulgo ab Hobbio petatur.

Hæc diſtinctio a Stoicis primum excogitata eſt, qui novere virtutes politici viri ſecernere a ceterorum virtutibus; aſſerunt namque quod virtutes civiles ἐν μετριοπαθείᾳ τοῦ ἀλόγου κείμεναι, τῷ ἕπεσθαι καὶ ἀκολουθεῖν τῷ λογισμῷ τοῦ καθήκοντος κατὰ τὰς πράξεις, *in mediocritate affectuum ipſius irrationalis partis animæ ſitæ ſunt, ſequendo & ſectando rationem decori in rebus agendis,* d) verumtamen ſiquidem Puſendorfius ad Thomam Hobbium provocat, operæ pretium erit diſtinctionis theoriam ex Hobbio ſubnectere.

§. IV.

Exponitur juxta Hobbium, ex quo juſtitiam externam, tanquam finem jurisprudentiæ definit Puſendorfius, pluribus adſtipulantibus.

Juſtum & *injuſtum*, ait ille e) *juſtitia* & *injuſtitia* æquivoca verba ſunt, & aliud ſignificant, quum actionibus, aliud cum perſonis tribuantur. Nimirum quando *juſtum* actionibus tribuitur, id ſignificare docet, quod jure factum; aſſeritque, ideo tunc qui fecit inſontem dici: *injuſtum* vero, quod injuria; & tunc qui fecit, ſontem appellari. Quando autem de perſonis eadem verba uſurpantur; *juſtum eſſe* ſignificat, juſte faciendo delectari, juſtitiæ

a) Chriſt. Thomaſius in not. ad tit. Inſtit. de Juſt. & Jur.
b) Thomaſ. loc. cit.
c) Puſendorf. de Jur. N. & G. lib. I. cap. VII. § 6.
d) Porphyr. ex lib. de occaſ. ad intelligibil. ap. Stobæ. Serm. p. m. 22.
e) Hobb. de Civ. ſub tit. Libert. cap. III. §. V.

ſtitiæ ſtudere, vel conari facere in omni re id, quod juſtum eſt: at *eſſe injuſtum* eſt negligere juſtitiam, vel eam non pacto ſuo, ſed præſenti commodo menſurandam exiſtimare; ita ut alia ſit animi inſtituti, ſive hominis; alia unius actionis vel omiſſionis juſtitia. Totidem pene verbis hæc habet etiam Pufendorfſius, a) qui, cohærenter ad hanc ſententiam, legalem juſtitiam vocat *rectam applicationem actionum ad perſonas*, eidemque omnino adſtipulantur Immanuel Weberus, Gottlieb Samuel Treuerus, Ioannes Barbeyracius, Everardus Otto b) & præter hos Chriſtianus Thomaſius c) Ioannes Gottlieb Heineccius, d) & paſſim.

§. V.

Quatenus, & quibus rationibus diſſentientes Interpretes prædictis opponantur.

Neque uſquequaque his adverſantur alii Interpretes, qui quanquam juſtitiam internam ad finem jurisprudentiae pertinere velint; fatentur tamen eam in externa civium obedientia acquieſcere, ſeu, ut vocant, in *legali juſtitia*; ſiquidem per media ſua *habitualem*, internam nempe, obtinere non poteſt. e) Moventur illi, quod in jure juſtinianeo non virtutum tantum quarumvis ſemina paſſim ſpargantur, ſed etiam fructus; lege enim Cornelia manſuetudo, lege Julia temperantia, fortitudo item, & veracitas aliis legibus exiguntur; f) Quam ob rem etſi judices externam tantum hominum obedientiam cogant; fieri tamen putant, Legumlatores in rogandis legibus juſtitiam quoque internam, eamque cum univerſalem, tum particularem in Rempublicam introducere ſummopere ſtuduiſſe: porro cum idem, qui legislatoris finis fuit, jurisprudentiæ ſit; explicat etenim, ut aſſerunt, & applicat Jurisprudentia leges, quas Legumlatores rogavere, ſponte ſua fluit, & internam juſtitiam ad finem civilis ſcientiæ referri.

 §. VI.

a) Pufendorf. cit. de Jur. N. & G. lib. I. cap. VII §. 6.
b) Annotatores ad Pufendorf. lib. de offic. Hom. & Civis juxta legem Natur. lib. I. cap. II. §. 12.
c) Thomaſ. ad Inſtit. loc. cit.
d) Heinecc. Antiq. Rom. Jurisprud. illuſtr. lib. I. tit. I. § V.
e) Weſenb. in π. d. J. & J. Hagemeier. Exercit. ad Suthol. th. 6. Petr. Müller. in addit. ad Struvii Syntagm. Jurisprud. Exercit. I. lib. I. tit. I. de J. & J.
f) vid Diſſert. de Præcognitis Jurisprud. Juſtitia & Jure Præſide Godofred. Rein. Kœſelitio §. XII.

§. VI.

Diluuntur diſſentientium fundamenta.

Sed poſteaquam agnoverunt iſti Interpretes acquieſcere Jurisprudentiam in externa civium obedientia, fruſtra ad ejusdem finem internam juſtitiam revocare allaborant; & tametſi Legumlatores ſuis legibus internam juſtitiam intendant; non idem tamen reſpicere legum diſciplinam vel inde patet, quia neque mediis inſtructa eſt ad eam conſequendam. Quod vero alicubi in jure videatur internæ juſtitiæ ratio haberi, ſenſerat jam Pufendorfius, & iccirco monuerat, obiter tantum, paucisque in materiis id fieri. Memini quidem præter alios veteres, perhibere Hieroclem, a) ad probitatem deducere virtutes illas, quæ civiles exiſtunt, & quas exercere per publica juſſa homines excitantur; & Gellio b) placuiſſe, ſine ulla attrectatione, ſola mente atque animo ut furtum fiat annitente, furtum committi; idque, Henrico Stephano c) recte conjectante, ex quorundam JCrum verbis collegiſſe videri. Verum hæc juſtitiæ diviſio recentioris ſcholæ communi placito recepta eſt; d) eique favet cum reliquis Stoicis e) potius quam adverſetur Hierocles; & præterea nihil mirandum ſubit, ſi vtramque juſtitiæ ſpeciem forte confundentes veteres alii, eundem effectum utrique attribuere. Illis autem JCrum placitis, quæ Gellius ſecutus fuerat, manifeſtis legibus derogatum eſt. f) Et majorum inſtituta, qui, ut Paterculus ait, facta ad conſilia dirigebant, jam Catonis ætate exolevere; quippe illi neminem plecti, qui male facere voluit, æquum viſum ſit, niſi quod factum voluit, etiam fecerit. g) Demum nequa philoſophorum oratione motus aliquis, ob animi cogitata, quæ nullum effectum ſortita ſunt, pœnas infligeret, legis vi munitum eſt illud Ulpiani: *cogitationis pœnam nemo patitur.* h)

§. VII.

a) Hierocl. in Carm. Pythagor. in pr. p. m. 6.
b) Noct. Attic. lib. XI, cap. XVIII.
c) In præfat. præmiſſa lib. cui tit. Jur. Civil. Fontes & Rivi circa fin.
d) Conf. Heinecc. Antiq Rom. cit. lib. I. tit. I. de Juſt. & Jur. in pr.
e) Supr. §. III.
f) l. 1. §. 1. ff. de furt. l. 3. §. 18. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.
g) Gell. Noct. Attic. lib. VII. cap. III.
h) l. 18. ff. de Pœn. & conſentiunt Canon. cap. cogitationis de pœnit. diſt. I.

§. VII.

Verumtamen conſilium uniuscujusque non factum puniendum eſſe docet Paullus, a) et in maleficiis voluntatem ſpectari non exitum, eademque ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluiſſe ſcribunt Imperatores. b) At nihilominus longius abeſt, ac dici poſſit jurisprudentiam internam juſtitiam exigere; & de aſſumto crimine, actuque aliquo inchoato loquuntur adductæ leges, magisque evincunt, non ſolum conſummatum, ſed & inchoatum ſcelus, non modo perfectum, ſed & conatum crimen eſſe, quam cogitationes puniri. c) *Aliter* etenim *leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias: leges quatenus manu tenere poſſunt, philoſophi quatenus ratione & intelligentia:* d) & quo alias colore, qui numquam rem alienam invito domino contrectavit, numquam alienam matremfamilias corrupit; tametſi ejus mentis ſit, ut occaſione data, id commiſſurus ſit, furem non eſſe, vel adulterum dixiſſet Tryphoninus. e) Quamquam ergo princeps civitatis nomotheſia ſua velit probos cives efficere; ſolas tamen civium actiones, non attenta mentis æquitate vel nequitia lex reſpicit, eaque iccirco Papiniano dicitur *coërcitio delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur.* f)

Paullus l. 14. ff. ad leg de Sicar. & l. quisquis C. ad leg. Jul. Majeſt. illuſtrantur.

§. VIII.

Quum igitur huiusmodi Interpretum veſtigia ſecutus Ulpianum defendere nequeam, contraham vela, novumque periculum ipſe faciam. Jus, cujus juſtitia objectum dicitur, eſt ars æqui & boni, g) ſeu divinarum & humanarum rerum notitia, juſti injuſtique ſcientia, h) hæc ars non moderatur civium actiones; id enim præſtant leges; i) ſed quid jure vel injuria actum ſit, fierive poſſit conſiderat, k) ut definitiones declarant. Fruſtra

Externa juſtitia non eſt finis Jurisprudentiæ, & Ulpiani vindicatio.

a) Sententiar. lib. V. tit. XXIII. §. 3.
b) Hadrian. in l. 14. D. ad L. Cornel. de Sicariis, Arcad. & Honor. in l. quisquis C. ad L. Iul Majeſt.
c) Anton. Matthæus de Crimin. Prolegom. cap. I. n. 6.
d) Cic. de off. lib. III. cap. XVII.
e) l. 225. ff. de V. S.
f) l. 1. ff. de Legib.
g) l. 1. §. 1. ff. de Juſt. & Jur.
h) §. 1. Inſtit. & l. 10. ff. de Juſt. & Jur.
i) d. l. 1. ff. de Legib.
k) conf. Cic. de Invent. lib. I. cap. XI.

ſtra ergo externam juſtitiam, ſeu rectam applicationem actionum ad perſonas jurisprudentiæ objectum conſtituere Pufendorfius, aliique Ulpiani obtrectatores, quum is legum finis ſit, & ars juris duntaxat conſideret, quousque illa actionum applicatio legibus conformetur, vel eisdem obſiſtat. Profecto ſi diligentius inſpexiſſent Ulpianum, ſatis cauſſam ſuam defendebat per inſcriptiones, quas illis legibus a) reliquit Juſtinianus: *Ulpianus libro primo Inſtitutionum: Ulpianus libro primo Regularum;* qui inſtitutionum & regularum libri ad eum ordinem referuntur, quo Jus civile in artem redigere JCti veteres ſatagebant, b) atque adeo ad JCtum immediate, non ad civem pertinent.

§. IX.

Indigitatur placitum de Juſtitia dea, ceu fine jurisprudentiæ.

Sed etſi nihil amplius nobis negotii reliquum ſit cum Interpretibus, quod ad externam juſtitiam attinet; ſuperſunt tamen, qui contendunt, juſtitiam deam potius, quam internam animi virtutem Jurisprudentiæ objectum a Ulpiano conſtitutum fuiſſe. hinc oportet, ut pro inſtituti ratione, anteaquam detegam quid ſentiam, de hac etiam opinione diligentiſſima cognitio inſtituatur.

§. X.

Ejusdem occaſio, & fundamenta.

Huic opinioni occaſionem teſte Wilhelmo van der Muelen, c) cujus patroni præſertim ſunt Franciſcus Hotomanus, & Hermannus Vultejus, præbuit ille Ulpiani ſermo: *Conſtans & perpetua voluntas;* quo deterriti, quaſi excederet humanam imbecillitatem, ad hæc delapſi ſunt. Nec neglexere, quin undique conquiſitis rationibus hanc interpretationem fulcirent. Par enim eſſe arbitrantur, poſteaquam veteres de juſtitia ita diſputarunt, ut unam virtutem humanam conſtituerint, alteram deam, jovisque filiam fecerint, de juſtitia dea definitionem accipi, quæ jurisprudentiæ præſit, cujus eapropter ſacerdotes eſſe gloriantur JCti. d) Ad hæc, quum humana virtus ſit obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutisque populorum; præcedat autem leges, quæ heic definitur juſtitia, quod ab ea jus, ſeu leges denominentur

a) l. 1. & l. 10. ff. de Juſt. & Jur.
b) Jac. Gothofred. in Manual. Jur. Hiſt. ſeu progreſſ. Jur. Civ. Rom. cap. VII. de ICtis, eorumque ſucceſſ. Sect. Script.
c) Exercit. in tit. D. de Juſt & Jur.
d) d. l. 1. D. de Juſt. & Jur.

nentur, a) non erit humana virtus, quæ a legibus oritur, ſed divina juſtitia, legibus prior, cui definitio, ut aſſerunt, accommodetur.

§. XI.

Deſcriptionem juſtitiae deae, petere jubet Hotomanus apud Heſiodum, Gellium, Demoſthenem, et Senecam. At mallem cumprimis probaſſet humanam virtutem a divina illa diverſam habitam fuiſſe. Equidem novi nonnullos Stoicorum, quos Seneca exagitat & reprobat, b) tantum juſtitiæ attribuiſſe, ut eam rem animatam, non minus alioquin ac ceteras virtutes fuiſſe crediderint; ſed quod vel ipſi, vel antiquus aliquis, vel vates quidem, juſtitiam deam ab humana virtute diverſam fecerit, ingenue fateor, ignoro, & avide docerer. Examinabo propterea, etſi fortaſſe prolixius, ac oporteat, quaecunque Hotomanus allegat. Id autem æqui bonique conſulent quotquot mecum has ſordes & fabulas in rebus graviſſimis faſtidiunt.

Auctores ex quibus adſtruitur, quo circa aperitur allucinatio.

§. XII.

Hæc habet Aſchræus vates præſtantiſſimus Heſiodus: c)

Locus Heſiodi.

Ἡ δέ τε παρθένος ἐςὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα
Κυδνή τ' αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν
Καὶ ῥ' ὁπότ' ἄν τις μιν βλάπτῃ σκολιοῖς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα παρ Διῒ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλήων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
Ἄλλῃ παρκλίνουσι δίκας, σκολιῶς ἐνέποντες.

quae pro viribus, paulo aliter ac Ferrarius Montanus, d) aliique ſic verto:

Juſtitia at virgo Jovis eſt de ſemine nata,
Præclara & veneranda diis, habitantibus aſtra.
Quam modo quis violet, juſti vel nomine lædat,
Pergit adire patrem Saturnium, & aſſidet illi,
Incuſatque animos hominum, queriturque nocentes;
Expiet ut populus regum delicta reorum,
Qui male detorquent obliquo tramite jura.

C §. XIII.

a) d. l. 1. de Juſt. & Jur. b) Sen. Ep. CXIII.
c) Opera & dies a v. 254.
d) Joann. Ferrar. Montan. in adnotat. ad IV. Inſtit. lib. ad tit. I. lib. I. p. m. 21.

§. XIII.

Illuſtratur Heſiodus, & invertitur in Hotomanum.

Satam itaque juſtitiam de Jove canit Heſiodus; ſed dea ne ſit, vel humana virtus; aut rectius: an inter humanam virtutem, & juſtitiam deam, aliquid intercedat, non explicat. Quod ſi forte id conjectat Hotomanus ob ea, quæ Poëta præmiſerat: ter nempe decies mille in terra eſſe Jovis deos, quos inter juſtitiam numerare videtur, reponam jam manifeſtum eſſe, hanc deam juſtitiam prorſus ab humana virtute non differre; quum hanc ipſam cum hominibus communicatam paulo infra teſtetur. a)

§. XIV.

Confirmatur inverſio ex alio ejusdem loco.

Ad hæc, quoniam Hotomano teſte de hujusmodi juſtitia accipienda eſt definitio, quæ leges præcedat, qualem deam eſſe cenſet, b) hæc juſtitia, quam Heſiodus deſcribit, non erit illa, quæ jurisprudentiam deceat, cum eandem legibus eſſe poſteriorem declaret. Eſt enim hic auctor c) Jovem a Themide ſorore horas, eunomiam, juſtitiam, quam ille Δίκην vocat, & irenem filias ſuſcepiſſe. Quam ob rem, ſi juſtitia dea legibus anterior eſt, hæc Δίκη, quæ leges conſequitur, juſtitia dea non erit.

§. XV.

Salvaghii opinio de Themide dea, ut objecto Jurisprudentiæ.

Quod ſi adhuc velit Hotomanus contendere, & eo confugere, ut dicat, negari ſaltem non poſſe, aliam eſſe Themin ab humana virtute, & hinc definitionem de themide eſſe intelligendam, per me licet, & commilitonem dabo eximium Anteceſſorem, Carolum Salvaghium, d) cui etiam perſuaſum fuit Ulpianum ad themidem reſpexiſſe, quam Græcia præſertim devenerabatur, & deam eſſe habitam, inter cetera ampliſſimum eſt Feſti teſtimonium. *Themin*, inquit ille, *deam putabant eſſe, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas eſſet, eamque id eſſe exiſtimabant, quod & fas eſt.*

§. XVI.

Confutatur ex moribus Romanorum.

Otioſum eſſet inquirere, ſitne alia Themis ab juſtitia, ut Heſiodus vult, vel eadem potius, ut Euſtathio placuit. Diſquirant-

a) Heſiod. loc. cit. a v. 273.
b) Supra § X.
c) Heſiod. in Theogen. a v. 901.
d) Recit. Solemn. de Orig. Ethim. & Præſt. Pandect. ad l. 1. ff. in tom I theſaur. Jur. Otton. col. 19.

rant id veteres, iique, quibus aniles fabulæ arrident. Mihi, cui cum Interpretibus Juris Civilis Romani ſermo eſt, alia via, præſertim ob Feſti auctoritatem, incedendum eſſe judico, & oſtendendum neque ad Themin, neque ad Juſtitiam, ſi deas mavis, reſpicere potuiſſe Ulpianum JCtum, qui tametſi Tyrius, Syrophœnix; a) non autem patria Romanus eſſet, debebat tamen Romæ ſe Quiritium inſtitutis, & moribus accommodare, præcipue in juris civilis romani tractatione.

§. XVII.

Romani neque juſtitiam, neque Themin, neque Næmeſim conſecrarunt.

Quum ergo legibus & moribus Romanæ Reipublicæ, a Numa Pompilio ſancitis, diu ad poſteritatem propagatis, Juſtitia, Themis, & Næmeſis ſacratæ non fuerint, neque eis templa devota; b) conſtitutumque eſſet, & ædilium curæ commiſſum, ut animadverterent c) ne ſeparatim aliquis haberet deos, neve novos; ſed ne advenas, niſi publice adſcitos, privatim coleret, d) qua ratione olim obſtitit Tiberio Senatus, & auctor fuit, ne CHRISTUM inter deos reciperet, credibile non eſt, in legum contemptum usque adeo hujusmodi pietatem confoviſſe Ulpianum. e)

§. XVIII.

Nequidem novis religionibus inductis.

At quoniam occurrit non raro in Romana Hiſtoria, novas deinde deorum religiones inductas fuiſſe. Sic Mens, Virtus, Honos, Opis, Salus, Concordia, Libertas, Victoria ſacratæ ſunt; f) & Pietatis Ædem, longe poſt Numæ tempora M. Acilius Glabrio dedicavit; g) induci poſſet ſuſpicio, Themidis & juſtitiæ cultum poſtea publica auctoritate ſuſceptum fuiſſe; præſertim quia a Tiberii tempore juſtitia in numis occurrit; & mihi, pro innata benignitate, qua ſtudia mea fovet vir antiquitatum periſſimus, Reverendiſſ. P. Carolus Granellus, Mediolanenſis, e S. J. Sac. Cæſ. Majeſt. Amaliæ Auguſtæ a confeſſionibus, in ejusdem ſelectiſſimo cimelio vidiſſe contigit, & deinceps adhuc in non-

a) l. 1. pr. ff. de Cenſ.
b) Dionyſ. Halicarnaſſ. Antiq. Rom. lib. II. p. m. 134. edit. Lipſ. 1691. fol.
c) Liv. lib. IV. cap. XXX. & lib. XXV. cap. I.
d) Cic. de Legib. lib. II. cap. VIII.
e) Conf. Bynkershœck. Diſſ. I. de Relig. Peregr.
f) Cic. de Nat. Deor. lib. II. cap. XXIII.
g) Liv. Decad. IV. lib. X. cap. XIV.

nonnullorum Imperatorum nummis. Nihilominus ad juſtitiam quod attinet, fretus etiam auctoritate eruditiſſimi JCti, Conſtantii Landi, a) dicam mihi inter legendum nusquam occurriſſe veſtigium, unde Romanos juſtitiæ templum dedicaſſe conjectare potuerim; adeo ut Tiberius, ceterique Imperatores pro ea, quæ ipſis competebat, libertate hujusmodi nummum, privatæ religionis ergo, vel, quod verius eſt, in animi oſtentationem arcano conſilio, feriiſſe videantur. Profecto de Themide, quod reſciam, nec nummi extant, neque cultus cujuſpiam apud Romanos memoria. Quam ob rem fatendum eſt, Feſtum, qui Themin deam creditam fuiſſe perhibuit, ad Graecos reſpexiſſe, cujus propterea templum duntaxat ad Cephiſum Bœotiæ fluvium memoratur.

§. XIX.

Ratio cur antiqui virtutes conſecraverint, & ut deas habuerint.

Sed ne qua demum remaneat dubitatio, atque ut ad propoſitum meus ſermo revertatur, in *μυθολογίας* rationes inquirens, oſtendam, cur animi virtutes ſacratæ, & deæ habitæ ſint; ne quis poſthac in jure explicando virtutem humanam a dea ſecernendi occaſionem arripiat. Quoniam itaque virtutum vis tanta eſt, ut ſine Deo regi non poſſit, deorum nomen obtinuerunt: præſertim quia ratio veritas, & lex, quæ eſt recti perceptio, pravique depulſio, eadem in diis ab antiquitate credita ſit, quæ in genere humano, atque reputatum, ab his prudentiam quoque & mentem cum hominibus communicatam, ad homines perveniſſe; qua propter fides, virtus, concordia tanquam a ſuperis ad homines derivatæ conſecratæ olim, & publice dedicatæ fuere. b)

§. XX.

Illuſtratur nonnullis veterum auctoritatibus.

Quare mirum non eſt, ſi a diis ortas virtutes perhibeant, & in illis, æque ac in hominibus easdem veteres agnoſcant. Hac ipſa ratione Dioni Chryſoſtomo c), *νόμος ὁ τȣ̃ Διὸς υἱὸς, lex jovis filia* dicitur, quoque *ȣ̓ μόνον συμφέρει τοῖς θνητοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς θεοῖς, non ſolum conducit mortalibus, verum etiam diis;* ſubditque rationem *ὁ γοῦν κόσμος ἀεὶ τὸν αὐτὸν νόμον ἀκίνητον φυλάττει, καὶ τῶν αἰωνίων ȣ̓δὲν ἂν παραβαίη τȣ̃τον, nam mundus ſemper eandem*

a) Enarrat. ad tit. Pandect. de Juſt. & Jur. cap. X. in tom. III. Theſaur. Jur. Otton.

b) Cic. de Nat. Deor. lib. II cap. XXXI. & XXXIII. & alibi paſſim.

c) in Orat. de Lege conſ. Cicer. de legib. lib. I. cap. VI. & ſeq.

dem legem immotam cuſtodit, nihilque ſempiternum hanc transgreditur; & denique concludit, ὅθεν, οἶμαι, καὶ βασιλεὺς εἰκότως ἀνθρώπων, καὶ θεῶν κέκληται, *unde, puto & regina merito hominum, atque deorum vocata eſt.* Ac quidem de juſtitia ſpeciatim & expreſſe Chryſippus quoque præter Heſiodum teſtatur. Οὐ γάρ ἐςιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης, ait, a) ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς Φύσεως. *Non enim inveniri poteſt aliud juſtitiæ principium, alia origo, quam a Jove & communi natura* promanans. idem repetit Tullius, etſi paulo obſcurius, cum prudentiam & mentem a diis ad homines perveniſſe autumat; b) nam Zenoni, ex cujus placitis differebat eo loco Cicero, perſuaſum erat, Prudentiam dum ſuum cuique tribuit, eſſe juſtitiam; dum res eligit temperantiam; dum tolerat fortitudinem. c) Feſtus ipſe, quem mox ſupra retuli, d) hoc ipſum teſtari mihi videtur; & ita mallem Heſiodum intelligere, niſi forte cuipiam Procli e) interpretatio magis arrideret.

§. XXI.

Deveniendum nunc ad alterum locum, qui adducitur, ubi Chryſippus, idem quem paulo ante laudavimus, juſtitiæ apud A. Gellium f) imaginem facit, qualem apprime in Tiberii nummis expreſſam reperimus g) forma, nempe, atque filo virginali: aſpectu vehementi, atque formidabili: luminibus oculorum acribus: neque humilis, neque atrocis; ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate; aliter ac Pauſanias, qui eandem formoſa depingit facie, obſtricto collo injuriam continentem, & fuſte acriter ferientem. Sed quicquid horum ſit, ſi Gellio fides adhibenda eſt, hujusmodi προσωποποιΐα exhibet Chryſippus, qualem oporteat eſſe judicem, qui juſtitiæ antiſtes eſt. Hinc qua ratione ad juſtitiam deam probandam ab humana virtute diverſam hæc conferant, nullus aſſequi poſſum.

Locus A. Gellii non inducit differentiam inter juſtitiam deam, & virtutem humanam.

a) Apud Plutarchum in lib. de Stoicorum Repugnantiis.
b) de Nat. Deor lib. II. cap. XXXI.
c) Teſte Plutarch in lib. de Virt. & Mor.
d) Supra §. XV.
e) Procl. in Schol. ad. d. Heſiodi locum.
f) Noct. Attic. lib. XVI. cap. VI.
g) Anton. Auguſt. in Dialog. Dialog. II. p. m. 45.

§. XXII.

Fundamentum Hotomani, quod in Gellio conſtituebat, aperitur & refellitur.

Facilius detego, quo conſilio deceptus Hotomanus ad Gellium provocarit; quum enim adverteret apud eundem judices vocari juſtitiæ antiſtites, auguſtiorem eſſe eam appellationem, æque ac illam ſacerdotis ratus eſt, ac humanæ virtuti convenire poſſet. Verumtamen ſi veterum opinionem teneamus, & inſtituta, qui ſiquidem crediderunt, virtutes diis cum hominibus communicatas fuiſſe, eas ſacras eſſe voluere, non mirabimur ſacerdotes a) dici & antiſtites b) qui circa juſtitiam verſantur, & *ſancta penetralia juſtitiæ* Senatum Romanum appellari, c) ubi jura reddebantur.

§. XXIII.

Communis interpretatio Ulpiani in l. 1. ff. de Juſt. & Jur. adverſus Marcilium defenditur.

Non eſt ergo cur cum Theodoro Marcilio d) ad reprobandam Hotomani interpretationem, prænomen *cujus*, quo uſus eſt Ulpianus, e) non ad juſtitiæ, ſed ad juris vocabulum referam; ita ut intelligatur jurisprudentiæ deæ, loco Flaminum, ſacerdotes eſſe JCtos. Huic ſane interpretationi, licet plurima non obſtarent, vel eo tamen nomine communis præferenda eſſet, quod legis contextui admodum conveniat; ubi Ulpianus, probaturus quod aſſeruerat, nimirum JCtos merito appellari ſacerdotes, has adducit rationes, quia juſtitiam colunt, notitiamque boni & æqui, hoc eſt jurisprudentiam f) profitentur. Juſtitiæ itaque ſacerdotes ſunt, quam colunt, non jurisprudentiæ, quam profitentur, ſcilicet quam callent. Sed hæc plenius infra illuſtrantur. g)

§. XXIV.

Locus Demoſthenis refertur & enucleatur.

Tertio loco laudatur Demoſthenes h) ob hæc verba: *Et æquitatis amica legum ſanctio maximi facienda, quæ omnes & urbes, & regiones tuetur, & inexorabilis & veneranda juſtitia, quam is,*

a) ap. Ulp. in l. 1. ff. de Juſt. & Jur. & ap. Symmach. Ep. lib. I. ep. 40.
b) apud Gell. cit. lib. XVI. cap. VI.
c) Valer. Maxim. lib. VI. cap. V.
d) in explicat. tit. Inſtit. de Juſt. & Jur.
e) in d. l. 1. ff. de Juſt. & Jur.
f) infra Sect. II. §. III.
g) infra Sect. I. §. XXXVIII.
h) in Ariſtogitonem I. Hieronymo VVolſio interprete.

iſ, qui ſacroſancta initia nobis monſtravit Orphæus, a) *ſolio Jovis aſſidentem, omnia facta hominum ait intueri. Eam unusquisque in ſe defigere putet oculos ; itaque pronuntiet, ut caveat & provideat, ne eam pudefaciat, a qua cognomen habetis ſinguli, qui ſorte judices quoque tempore delecti eſtis, ad omnium, in Republica degentium, honeſtatem & jus & utilitatem tuendam.* Hunc locum alii de vindicta interpretantur; b) ego tamen hoc aufugio indigere non exiſtimo ; fixaque habeo illa Salluſtii verba: c) *noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt: animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune eſt;* quorum in ſenſum ſicuti conveniſſe Heſiodum, & Chryſippum paulo ante ex ſuorum temporum placitis enucleavimus, ita eisdem ſubſcribere cum Orphæo Demoſthenem ipſa ocularis inſpectio declarat.

§. XXV.

Denique citatur Seneca, d) cujus hæc narratio eſt. Dum tenebat Saturnus regna Poli, juſtitia dea, magni numinis filia, cœlo demiſſa cum ſancta fide, regebat terras. Nulla bella noverant homines, neque muris vallabantur urbes, pervium iter cunctis patebat, & ultro terra dabat ſegetes. At mox ubi quartum hominum genus e fluctibus piſces extrahere, & cœpit volucres calamo decipere, feroces tauros cogere jugo, ſulcare terram, ex ejusdem viſceribus ferrum & argentum efodere, & armata manu regnorum fines conſtituere, novas erigere urbes, defendere ſuis telis aliena tecta, fugit Aſtræa neglecta terras, & cruenta cæde pollutas hominum manus. hactenus eisdem prope verbis Seneca. *Locus Senecæ.*

§. XXVI.

At nihilominus nullus veritati obex fieri poteſt; patet namque evidentiſſime redargui his verbis illa tempora, ubi primum homines a rerum communione, quam ipſa natura conſtituerat, receſſere, quaſi id avaritiæ, ceterisque vitiis viam aperuerit, poſthabendarumque virtutum occaſionem; doletque iccirco philo- *Nequit intelligi de juſtitia dea, ab omni virtute diverſa.*

a) innuit ni fallor illa Orphæi carmina, quæ habet Stobæus Serm. IX. de Juſtitia p. m. 100.

b) vid. verſ. Philippi Melanchthonis.

c) de Bell. Catilinar. in pr.

d) in Octav. Act. II. a v. 397.

philoſophus duram illam neceſſitatem ad ſua usque tempora propagatam, diutius adhuc duraturam, ubi, naturæ humanæ indole prorſus collapſa, paſſionum non juſtitiæ potiſſima ratio habetur. Alioquin ſane inconſulto locutus videretur Seneca, ſi e terris ob hominum vitia excedente Aſtræa ſimul animi virtutem exulaviſſe non aſſeveraſſet; niſi forte, quod abſurdum eſt, humana virtus cum vitiis componi poteſt & conſiſtere.

§. XXVII.

Confirmatur aliis auctoritatibus.

Rectius itaque exiſtimo humanam virtutem Aſtrææ nomine intellexiſſe Senecam, quod & Virgilius, Aratum, Servio teſte, ſecutus confirmare videtur, cum canat, a terris pulſam juſtitiam, in agris adhuc tantiſper conſtitiſſe: ubi intemerata hominum ſimplicitas nondum vitiis locum dederat:

- - - - extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit a)

ut omnino pateat, tametſi dea audiat Aſtræa, Jovisque filia perſæpe apud antiquos, nec hilum diſcrepare ab ea, quam philoſophia alit & tuetur. Sane quod Cicero b) philoſophiæ dedit: urbes peperiſſe: diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſſe, eosque inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum vocumque communione junxiſſe, legumque adinventa, ſomni nomine ab Aſtræa regnoſcit Seneca c)

- - - tuque o domitor
Somne malorum, requies animi
Pars humanæ melior vitæ,
Volucer, matris genus Aſtrææ.

& apertius Claudianus d) ab juſtitia acceptum profitetur:

- - Tu prima hominem ſylveſtribus antris
Elicis, & foedo detergis ſecula victu.
Te propter colimus leges, animosque ferarum
Exuimus - - - - - -

atque hinc Hugoni Grotio accedimus, juſtitiæ præter diſcrimen ea omnia loca, aliaque inſuper attribuenti. e)

§.XXVIII.

a) Georg. lib. II. a v. 473.
b) Cic. Tuſcul. Diſput. lib. V. cap. II.
c) Hercul. Fur. Act. IV. a v. 1065.
d) De Conſul. Mallii Theodor. Panegyr. a v. 160.
e) Sparſ. Flor. ad Jus Juſtinianeum ad lib. I. tit. I. Inſtit. de Juſt. & Jur.

§. XXVIII.

Suffeciſſet ad convellendam hanc Hotomani opinionem perſpecta pluribus Juſtiniani chriſtiana religio, optimique Principis odium, a majoribus acceptum, in ethnicas ſuperſtitiones, illarumque fautores, quorum etiam οὐσίας *ſubſtantias* Anno Imperii ſui III, teſte Theophane, ἐδήμευσεν ἁπάσας *omnes publicavit*; tantum abeſt, ut ſuis libris ea definitione hujusmodi ſuperſtitionem infarciri ſiviſſet; nequis vero Ulpiani ſuperſtitionem, & Tribonianum, ut plurimi tradunt, ethnicum Religioſiſſimo Principi fucum feciſſe cauſſaretur, accuratius eidem ſententiæ obſiſtere conatus ſum, quo magis internam animi juſtitiam definiri evincerem. Hoc autem pro tenuitate mea hactenus peracto; quoniam virtutum naturam & indolem philoſophia explicat, deinceps mihi inquirendum eſt, cui ſectæ philoſophorum nomen dederit Ulpianus, & per ſuæ ſcholæ dogmata quaſi tentando definitionem enucleare, ſponte ſua tunc ſine dubio jurisprudentiæ objectum udituram.

Cur confutata non ſit hæc opinio ex Juſtiniani religione? & tranſitio ad inveſtigandam Ulpiani philoſophiam.

§. XXIX.

Stoicam præ ceteris vel Peripateticam philoſophiam Romanis fere omnibus placuiſſe apparet; illis præſertim, qui perſonam in Republica adminiſtranda, civilibusque rebus profiterentur; eo quod utraque ſapientem a Reipublicæ adminiſtratione non avocaret. Atque huc reſpiciens Horatius, ſtoicam innuens diſciplinam a) ad Mæcenatem cecinit:

Romani Stoicæ præſertim, vel Peripateticæ philoſophiæ ſtudebant.

Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigidusque ſatelles.

Quum Cyrenaici, & Epicurei, *ſapientem omnia ſua cauſſa facere, rempublicam capeſſere hominem bene ſanum non oportere* b) exiſtimarent. Non illis igitur accedere potuit Ulpianus ἐπιγνώμων καὶ ὥσπερ κοινωνὸς τῆς ἀρχῆς, *inſpector & quaſi particeps imperii*, ut vocatur a Zoſimo. c) Vel itaque Stoicam, vel Peripateticam profeſſus eſt virtutem.

a) Horat. Epiſt. lib. I. ep. I. & ibi Dionyſ. Lambin. in commentar.
b) Tull. in Orat. pro Sext.
c) Hiſtor. lib. I. cap. II.

§. XXX.

JCti, & præcipue Ulpianus Stoicæ.

At quoniam jura vetuſtiorem originem traxerunt a Dracone, Athenienſium legislatore, qui omnia fere delicta, quamvis imparia, æquali ſummoque ſupplicio plectebat, quod congruit ſententiæ Stoicorum, qui omnia peccata æqualia pronunciabant; quique ad honeſtatem omnia referebant, cunctaque ponebant in ſola virtute; quæ ſententiæ Romanis moribus, virtutis amore flagrantibus facile adhæreſcebant, plurimumque conveniebant gravitati civilis doctrinæ; & ideo univerſi fere JCti ad ſtoicam doctrinam confluebant, ejusque ſectæ decretis regebant alebantque Jurisprudentiam, a) credibile eſt eo etiam confugiſſe Ulpianum. Certe Stoicam profeſſum fuiſſe virtutem maluit Pater meus, b) quum me ad Jurisprudentiæ ſacra per juris origines deduceret; & validum id aſſerendi argumentum apud Athenæum c) proſtat, perhibentem, quod iſte JCtus ob curam verborum, quam Stoæ exemplo aſſumebat ὀνοματοθήρας in ſapientum cœnis perſæpe audiverit, quamvis injuria. d) Denique licet hunc locum opinionum varietate, a quibus procul cum Stoicis abeſt Ulpianus, quod mirandum eſt! involvant Interpretes obtenebrentque, nulli audent inficiari.

§. XXXI.

Diviſionis juſtitiæ in univerſalem, & particularem prætereundæ ratio.

Si itaque Stoicos Peripateticis prætulit Ulpianus, quibus ſolis philoſophiæ palmam vix non concedit Cicero, e) peripateticam illam juſtitiæ diviſionem in univerſalem, & particularem, quæ alioquin niſi nomen diviſionis habet, cum alterum membrum ſub priore contineatur, f) ſine Interpretum injuria præteribo, & parcam tempori, quod in ea præter rem terunt auditores. Equidem mihi libenter perſuadeo hæc & hujusmodi in mentem numquam incidiſſe Ulpiano, quum virtutes vel quadrifariam conſiderarent Stoici, vel unam prudentiam, quæ ceterarum officia

a) Dicente J. Vincent. Gravin. in Orat. de Jurisprud. inter Opuſcula III. conf. Gerh. Feltman. tractat. de Jur. in re, & ad rem cap. I. 2 n. 2. usque ad 5.
b) arg. l 1. de Novat. l. 1. l. 10. ff. de Juſt. & Jur.
c) lib. III. p. m. 99. conf. Feltman. cit. n. 3.
d) Caſaubono teſte ad d. lib. Athenæi c. XVIII.
e) Cic. Tuſcul lib. IV. cap. XXXIV.
f) Huber. Prælect. Jur. Civil. Par. prior. ad tit. I. Inſtit. de Juſtit. & Jur.

cia excurreret. a) Imo ſi Antonio Contio fides eſt b) neque Imperator, neque Cicero, licet Academicus, ullibi juſtitiæ appellatione generalem illam virtutem intelligunt.

§. XXXII.

Tranſitio ad aliquot principia dialecticæ Stoicæ.

Priusquam vero pandamus vela orationis, ipſamque definitionem aggrediamur, quia ſpinoſum & ſubtile eſt Stoicorum dicendi genus, c) e re erit eam ante paullulum dialecticorum remis propellere, ut lux aliqua, manibus necdum admotis, definitioni affulgeat. Apparebit continuo eandem eſſe e Stoicorum placitis opportune ad jurisprudentiæ objectum explicandum inſtitutam, & pertinere ad animi affectiones, circa quas Tullio d) præ ceteris philoſophis acutiſſime verſari videntur; adeo abeſt, ut reprehendi poſſit, aut ut in dialecticæ regulas impingat.

§. XXXIII.

Principium Stoicorum de virtutibus, earumque diviſione.

Virtutum igitur tria genera conſtituunt Stoici. Primo virtus pro quacunque rei cujusvis perfectione uſurpatur. ſic ſtatuæ virtus tribuitur. Alia virtus eſt contemplativa, quo ſpectant ſcientiæ omnes, quæ, juxta Hecatonem, ſpeculatione abſolvuntur, ut prudentia, & juſtitia. Tertium genus dicitur virtutis, a ſpeculatione ſejunctæ, ad quod, quæ ſpectant, tanquam ea, quæ conſequuntur virtutes contemplativas, conſiderantur. Huc pertinet ſanitas, robur, ſpes, gaudium &c. Dicuntur autem ſejunctæ a contemplatione, quoniam aſſenſu animi opus non habent, atque in ipſos quoque improbos cadunt, ut ſanitas & robur. e)

§. XXXIV.

Aliud principium de affectionibus, & præſertim voluntate.

Porro bonæ affectiones, quæ conſtantiæ nomine veniunt, quod a virtute contemplativa proficiſcantur, tres ſunt Stoicis. 1) gaudium. 2) cautio. 3) voluntas. Quum autem de voluntate inquiramus, opportunum erit, quod ad hanc Ciceronis explicationem deſcribere. *Simul objecta ſpecies cujuſpiam eſt*, ait ille, f)

D 2 *quod*

a) Plutarch. cit. in lib. de Virt. & Mor.
b) Lection. lib. II. cap. VII.
c) Cic. teſte de Fin. lib. III. cap. I.
d) Tuſcul. Quæſt. lib. IV. cap. V.
e) Poſt Diogen. Laërt. Thom. Stanlejus Hiſt. Philoſoph. Tom. II. P. VII. Doctr. Stoic. P. II. cap. IX.
f) Tuſcul. Diſput. cit. lib. IV. cap. VI.

quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura. id quum conſtanter, prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βȣ́λησιν *appellant: nos appellamus voluntatem. Eam illi putant in ſolo eſſe ſapiente, quam ſic definiunt*, voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat; *quæ autem ratione adverſa incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata.* a)

§. XXXV.

Bonæ affectiones derivantur a contemplativis ſcientiis, & referuntur ad virtutes.

Atque ad tertium genus virtutum referendas eſſe bonas animi affectiones, & præſertim hanc, quam dicimus voluntatem; tametſi ipſa ratio ſuadeat, & exempla demonſtrent, nihilominus ne quid perperam ſupponere videamur, lubet Senecæ teſtimonio confirmare, quo ſimul majorem huic doctrinæ lucem fœnerabimur. *Virtus,* ait, b) *& aliorum ſcientia eſt, & ſui: diſcendum de ipſa eſt, ut ipſa voluntas diſcatur. actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas; ab hoc enim eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit; ab hoc enim eſt voluntas.* Voluntas igitur ab habitu animi, hoc eſt a contemplativa ſcientia derivatur.

§. XXXVI.

Ex prærelatis principiis aperitur mens Ulpiani in definitione juſtitiæ,

Hiſce Stoicorum logicis & placitis ita delibatis, qua ratione JCtus definiverit, deinceps videamus. Non itaque Ulpiano viſum eſt juſtitiam, jurisprudentiæ objectum per *habitum* hoc eſt ſcientiam, exemplo Ciceronis, aliorumque definire; quandoquidem quum certa illa ſit & infallibilis per rationem comprehenſio, ut Stoici tradunt, hujusmodi definitio ſpeculativam innuiſſet juſtitiam, quæ ad jus non pertinet. Legislatoriæ enim ſcientiæ eſt ea, quæ certe & infallibiliter comprehenduntur tendere, ut ſuum cuique tribuatur, ſancire & jubere; juris autem ars ex legum notitia, quid jure vel injuria actum ſit, fierive poſſit duntaxat conſiderat. hinc quemadmodum Jurisprudentia legislatoriam ſequitur, illique adminiſtrat, ita juſtitia, quæ illius objectum eſt ſpeculativam ſcientiam conſequi debebat. hæc eſt conſtans & perpetua affectio; per conſtantem igitur animi affectionem a ſpeculativa juſtitia manantem, jurisprudentiæ objectum elegantiſſime expreſſit Ulpianus.

§. XXXVII.

a) conf. Stanlejum cit. P. VII. Doctr. Stoic. P. I. c. VI.
b) Sen. Ep. 93.

§. XXXVII.

Detegiturque quanam juſtitia conſtituta ſit objectum juriſprudentiæ.

Quum ergo conſtans & perpetua affectio, a ſpeculativa ſcientia promanans, juriſprudentiæ objectum ſit, ob oculos eſt, ut prodixeram, cujus demum juſtitiam juriſprudentia conſideret. Non enim eſſe poteſt illa Principis, qui ut ſuum cuique tribuatur, jubet & imperat: neque juſtitia civium huc pertinet, qui juſſa exequuntur. a) Illius igitur, qui leges callet & interpretatur juſtitiam juriſprudentiæ objectum eſſe oportere conſequitur. Intendit namque juriſprudentia docere JCtum, quæ æqua ſunt & bona, ad hoc ut affectionem acquirat conſtantem & perpetuam tribuendi unicuique jus ſuum, quin ſive in reſpondendo, ſive in interpretando unquam ab æquitate divertat, ſed ubique ad Legiſlatoris voluntatem conformetur. Hoc juriſprudentiæ objectum eſt, & dicant Interpretes, num alium finem ſibi incumbere, quum juri operam darent, perceperint, niſi hunc, quem definivit Ulpianus.

§. XXXVIII.

Elevatur objectum, & attenuatur.

Mirum fors cuipiam videbitur, qua ratione hæc conſtans affectio, a juſtitia promanans, quam Stoici vocant *voluntatem* in JCto reperiri poſſit, cujus cauſſam in legiſlatore ſitam eſſe oſtendi. b) At nulla ſupererit difficultas, ſi cumprimis qui hanc voluntatem habeat, tum qualis eſſe debeat JCtus paucis declaravero. Nullus niſi ſapiens hanc voluntatem meretur: *eam illi* Stoici *putant in ſolo eſſe ſapiente.* c) Porro conſtans Stoicorum ſententia eſt *μηδένα τῶν φαύλων μήτε νόμιμον εἶναι, μήτε νομικόν. nullum malorum vel legitimum vel legiſperitum eſſe.* d) Juriſconſultos Vlpianus hac ipſa ratione *ſacerdotes* appellat; e) ſolus enim ſapiens Stoicis ſacerdos eſt. f) Et ſane ſi JCti bonos efficere cupiunt, idque oneris illis incumbit, boni eſſe debent; nullum etenim ex malo bonum fit. g)

 §. XXXIX.

a) Supra §. VIII.
b) Supra §. XXXVI.
c) Cic. cit. Tuſculan. lib. IV. cap. VI.
d) apud Joann. Stobæum Serm. XLII. de Legib. & conſuetudinib.
e) d. l. 1. §. 1. ff. de Juſt. & Jur.
f) Stanlejus P. II. Doctr. Stoic. cap. XV.
g) ut argumentatur Seneca Ep. LXXXVII.

§. XXXIX.

Reſpondetur objecto.

Igitur quoniam vir probus ſit oportet JCtus, ſpeculativa ſcientia illi non deerit, cujus ope conſtantem animi affectionem ſortiatur. Quia vero juſtitiæ, quam acquiſivit, non eſt in hoc rerum genere, quæ juſta ſunt & æqua præcipere; ſed ea cumprimis ex publicis legum tabulis deſumere debet; ideo voluntas, quæ his legibus obſequitur, licet a juſtitia JCti manarit, recte tamen fieri dicitur ab illa legislatoris, quum inde deſumat, quæ juxta ſui muneris exigentiam exequatur. Quatenus ergo fit hæc voluntas, & facilis redditur ad parendum publicis tabulis, a ſpeculativa JCti ſcientia procedit; quatenus autem jura ſancita interpretatur, potiſſimum ab illa legislatoris.

§. XL.

Novum ex Cicerone dubium & differitur de proprietatibus virtutum juxta Stoicos.

Nihilominus curioſius adhuc inquiret aliquis, cur etſi Cicero juxta Stoicos *voluntatem* interpretetur conſtantem & perpetuam animi affectionem, illa tamen adjectiva voluntati affixerit Ulpianus: *conſtans & perpetua voluntas.* quæ otioſa videntur, ſi, ut apparet, Stoicos ſecutus eſt JCtus. Ea additamenta Stoicis propria eſſe virtutum, neminem latet. *Ex quo ergo virtutem intelleximus,* percunctatur Seneca a) *oſtendit illam nobis ordo ejus, & decor, & conſtantia, & omnium inter ſe actionum concordia, & magnitudo, ſuper omnia efferens ſe.* Duo itaque ſunt, ex quibus virtutem intelligimus; alterum quidem conſtantiam; alterum vero æquabilitatem. id enim indicant illa verba: *ordo, & actionum concordia.* Vtrumque expreſſit Vlpianus, cum τὸ *perpetuum* ad id, quod æquabiliter fit, ſignificandum interdum adhibeatur. atque hoc ſenſu uſurpari videtur a Cicerone b) in his verbis: *Sed ut pecuniæ non quærendæ ſolum ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, non ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales.* Liberales namque ſumptus non ſemper iidem eodemque modo fiunt; & hinc non videbantur *perpetui* voce comprehendi. a Seneca in hac ipſa quoque ſignificatione memini paſſim uſurpari. c)

§. XLI.

a) Senec. cit. ep. CXX. conf. Cicer. de Legib. Lib. I. cap. XVII. & in Paradox. cap. III.
b) Cic. de Offic. lib. II. cap. XII.
c) Præſertim Ep. LXXII.

§. XLI.

Hiſce prænotatis continuo culpa vacat Ulpianus, illiusque conſilium in aprico eſt. Vulgaris loquendi conſuetudo, & terminorum inopia poſcere videbatur, præcavendum eſſe, ne affectio iſta cum libera cujusque voluntate, quæ θέλησις dicitur, confunderetur; præſertim quum non tantum ad eos dirigeretur definitio, qui Stoam profiterentur, ſed ad quoscumque, qui juri civili operam darent. Ut igitur communi loquentium conſuetudini aptaretur definitio, & planius perciperetur, quid voluntatis nomine veniret, additamenta, quæ affectionem determinabant, traxit ad voluntatem. *Dubio ſatisfit.*

§. XLII.

Expendenda modo veniunt reliqua definitionis verba, quæ etſi varie exhibeant Codices; quia tamen JCti juſtitia eſt, quæ heic a Ulpiano definitur, eaque non huc pertinet, ut jus ſuum cuique tribuat, ſed ut ea ſuadeat, per quæ tribuatur, aſſentior Chriſtfrid. Wæchtlero, a) Pandectas Florentinos bene ſe habere, dum legunt: *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi,* neque emendandos eſſe. quamuis itaque Baſilica habeant *ἀπονέμουσα, tribuens;* unde forte factum eſt, ut non minus in vulgatis Digeſtorum exemplaribus, quam etiam in Argentinenſi MS; ab Hotomano b) laudato, tribuens legatur, nihilominus non recedam a Florentino Codice, cujus auctoritate argutam emendationis rationem, quam Ægidius Menagius c) excogitaverat, deſeruit. Et ſane Græcorum exemplum vix movere poteſt; etenim quum gerundiis illi non utantur, potuerunt Baſilica participium adhibere, præſertim ob definitiones Ciceronis, d) ubi ceterum elegantius infinitivo ſupplendum erat. Hinc demiror, cur tantopere Hotomanus huic Florentinæ lectioni adverſetur, perperam licet. Cautius Joannes Erneſtus Noricus e) annotat: *tribuendi. alias tribuens. Theophil. νέμουσα,* quamvis erret; nam Theophili titulus de juſtitia, & jure deeſt, eundemque ex Baſilicis Viglius ſupplevit. f) *Florentina lectio revindicata.*

§. XLIII.

a) in not. ad lib. III. cap. II. Probabil. Jur. Civil. Gerard. Noodt.
b) in Commentar. ad lib. I. Inſtit. tit. I. de Juſt. & Jur.
c) Amœnit. Jur. Civil. cap. IV.
d) Cic. de Fin. lib. V.
e) in addit. practic. ad Vinn. not. perpet. ad Inſtit. ad pr. tit. I.
f) conf. Ægid. Menag. loc. cit.

§. XLIII.

Reliqua definitionis verba expendere inſtituitur.

Porro quod ad ipſam verborum ſignificationem attinet, notum eſt, quot argumentis divinus Plato, a) & Rodulphus Agricola b) eam Simonidis definitionem exagitent, qua, *juſtum eſſe*, dixerat, *veritatem dicere, & unicuique reddere, quod ſuum eſt*. Cur ergo Ulpianus, nihil Platonem veritus, hæc definitionis verba mordicus retinuit, quin everti poſſe dubitaverit? Profecto quum longe celebrior eſſet Plato, ac Ulpianum latuiſſe credi poſſit, non abs re erit, ſi etiam in hujuſce facti rationes inquiram, unde novum fors eruam meæ explicationis argumentum.

§. XLIV.

Explicantur, & definitionis interpretatio confirmatur, excuſaturque Noodtius.

Mihi videtur conſuluiſſe ſibi, ſuæque definitioni JCtum per ea verba, quæ ſtudioſe præmiſerat: *conſtans*, videlicet, *& perpetua voluntas*, quibus cum ſatis intelligeretur quomodo & quem ad modum ſuum cuique reddendum eſſet, nihil imminebat periculi evertendæ definitionis. Atque ſi res ita ſe habet, næ fruſtra laboravit Gerardus Noodtius c) in exponendo quemadmodum ſuum cuique tribuendum ſit, notatus propterea a Wæchtlero, d) inclementius licet; nam genuina definitionis ſignificatione non attacta, utique exponendum erat τὸ *ſuum cuique tribuendi*, quod & Plato fecit prolixius, Simonidis definitionem evertendo, nec iccirco temere reprehendendus.

§. XLV.

Qua ratione Noodtius merito notari potuiſſet, & quorundam Interpretum error.

Ceterum ſi Noodtium jure notare voluiſſet Wæchtlerus, advertendum ipſi erat, quod quum Ulpiano ſermo eſſet de hujusmodi animi affectione, quæ ſuum cuique cum ratione & juxta leges reddere expeteret, cedebant, ſuaque mole ruebant Platonis argumenta, quæ validiſſima adverſus Simonidem inſtruxerat. Hinc demirari ſatis nequeo quosdam Interpretes, e) qui contendunt a Simonide definitionem ſuam deſumpſiſſe Ulpianum, cujus propterea defendendæ gratia, adverſus Platonem, & Agricolam, remiſſius, ut opinor, enituntur.

§. XLVI.

a) Plato lib. I. de Repub.
b) lib. I. de Invent. Dialect.
c) Probabil. Jur. Civil. lib. III. cap. II.
d) in not. ibidem.
e) Jac. Concenat. Epit. Oeconom. Art. Jur. Civil. lib. I. cap. I.

§. XLVI.

Wæchtlerus perſtringitur, & Contii diligentia commendata.

Injurioſior autem plus æquo eſt Interpretibus idem Wæchtlerus, quando ait, a) vulgo credi definitionem hanc a Stoicis petitam eſſe, & inter hos a Simonide. b) Medius fidius nemo, niſi plane hoſpes in rei litterariæ notitia talia credere potuiſſet. Conſtat enim Simonidem hunc Platone vetuſtiorem extitiſſe, quod & ipſe Plato ſatis indicat. c) Zeno Citiejus, qui Stoicorum familiam duxit, poſt Platonem d) floruit. e) Quomodo igitur inter Stoicos a Simonide vulgo credi poteſt definitionem ſumpſiſſe Ulpianum? Ceterum acutiſſime vidit Contius f) propriam JCrum eſſe hanc definitionem, nullamque, tametſi apud Platonem, Ariſtotelem, & Ciceronem plures extent, huic usque ſimilem reperiri.

§. XLVII.

Definitionis intellectus conjectatus etiam ex Baſilicis Gloſſarum, Marcilii & Huberi &c. reprobatio.

Nihil reliquum deſiderandum eſſet, ſi cujuſpiam veteris Interpretis auctoritate noſtram Ulpianeæ definitionis explicationem firmare poſſemus. Utinam integra ſupereſſet nobis Theophili græca Inſtitutionum paraphraſis, neque hunc apprime titulum de juſtitia, & jure amiſiſſemus! Nullus ſane dubitarem, quin hujus loci explanationem, fruſtra hucusque tentatam, jam pridem ex illo animadvertiſſent noſtri Interpretes. Hujus rei indicium mihi faciunt auctores Βασιλικῶν, ex quibus locum hunc in illa Theophili paraphraſi ſupplevit Viglius Zuichemus; & hinc conjicio Græcos Anteceſſores hanc interpretationem non latuiſſe. Illi itaque, g) ſermonis vim & proprietatem attigere, licet Ulpiani exemplo, claritatis ergo, voluntati adjectiva affixerint. *Δικαιοσύνη ἐστὶ σταθηρὰ καὶ διηνεκὴς βούλησις, ἡ ἑκάστῳ τὸ οἰκεῖον δίκαιον νέμουσα.* Dixere *βούλησιν* proprio Stoicorum vocabulo, quo affectio, de qua dicebamus, innuitur, h) non *προαίρεσιν*, ut Gloſ-

E ſæ,

a) in not. ad Noodt. Probabil. Jur. Civil. lib. III. cap. II.
b) Quem refert Plato lib. I. de Repub. in pr.
c) cit. lib. I. de Repub. in pr.
d) Plato naſcitur ann. 1. Olympiad. LXXXVIII. moritur ann. I. Olymp. CVIII. poſt Diogen. Dionyſ. Petav. Rationar. Temp P. I. lib III. cap. XIII.
e) Zeno obiit Olympiade CXXIX. vixit annis XCIIX. poſt Lucian. de Longæv. & Laërt. Stanlejus P. VII. Doctr. Stoic. P. I. cap. VI.
f) in not. ad tit. Inſtit. de Juſtit. & Jur.
g) in lib. I. Baſilic. tit. I. cap. X.
h) vid. Cic. Tuſcul. Diſput. lib. IV. cap. VI.

ſæ, quas Marcilius laudat, interpretantur. Nam quum προαίρεσις idem ſit, ac propoſitum, quis propoſitum dicet conſtans & perpetuum, cum illæ qualitates a virtute demum proficiſcantur? *Plus operis eſt in eo*, ſcribit Seneca, a) *ut propoſita cuſtodias, quam ut honeſta proponas.* Hæc ſi perpendiſſet Huberus, b) numquam aſſeruiſſet, voluntatem in ea definitione ſenſu populari accipiendam pro conſilio & propoſito. Papæ! hæcne Ulpianus ὀνοματοθήρας?

§. XLVIII.

Cenſuræ aliorum Interpretum recenſentur & exploduntur.

Quæ quum ita ſint, deſinant, amabo, Interpretes, definitiones, quas Ariſtoteles vocat c) ὑπερβαίνοντας tranſilientes, JCtis adſcribere; d) & contendere, Ulpiano juſtitiam eſſe electivum habitum, e) ſeu, ut Peripatetici tradunt, habitum voluntatis; f) ſubjectum, videlicet, pro qualitate, voluntatem pro virtute in voluntate poſitam: aut etiam aſſerere, voluntatem dixiſſe forte adhibito effectu pro cauſſa; quia nempe juſtitia voluntatem facit conſtantem & perpetuam in reddendo cuique ſuum, frequenti JCrum phraſi, g) rem plerumque ab effectu definientium, quem ad modum liquet in uſucapione. h) In hunc ferme modum illam juſtitiæ definitionem explicant plerique; ut ſane niſi illius explicationem eruiſſe confiderem, jurarem mihi non liquere, potius quam talia proferrem. Eſt enim definitio ἀπόδοσις, i) *reſponſio* ad quæſtionem quid ſit res. aliud autem eſt res, aliud quod ab ea fit, vel illi inhæret. quo igitur fundamento ſubjectum pro qualitate, effectum pro cauſſa Ulpianum intellexiſſe arbitrarer?

§. XLIX.

a) Seneca Ep. XCV.
b) Prælect. ad lib. I. tit. I. Inſtit. §. 2.
c) Ariſt. Top. VI. III.
d) Grot. Flor. Sparſ. ad Jus Juſtin. ad lib. I. Inſtit. de Juſt. & Jur. Muretus in not. ad Inſtit. ibidem.
e) Theodor. Marcil. in not. Franciſc. Balduin. in commentar. ad Inſtit. loc. cit. Philip. Melanchthon. Philoſoph. Moral. Epit. cap. quæ ſunt cauſſæ virtutis? p. m. 30.
f) Contius, Jan. a Coſta in not. Vinn. in commentar. ad Inſtit. d. tit.
g) videſis Jan. a Coſta loc. cit.
h) l. 3. ff. de Uſurpat. & Uſucap.
i) Chryſippo auctore in lib. de Definit.

§. XLIX.

Uſucapio ab effectu non definita; nec iſte mos definiendi veterum JCtorum evincitur.

Siquidem itaque definitionis naturæ repugnat, ut res ab effectu definiatur, liceat mihi uſucapionem inveſtigare, quam per effectum definiri aſſerebat Janus a Coſta. Uſucapionem Modeſtinus a) vocat adjectionem, vel, ut apud Ulpianum legitur, b) adeptionem dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti. Uſucapio intelligi nequit, niſi tempora præcurrerint: dum præcurrunt, uſus eſt, non uſucapio. elapſo demum tempore eſt uſucapio, dominii nimirum adeptio, ſeu adjectio. Non itaque uſucapio dominium adjicit, ſed uſus non interruptus dat dominii adjectionem, quam uſucapionem vocant. Nulla ergo uſucapionis eſt ab effectu facta definitio; & hinc JCrum morem, definiendi res per effectus, aſſerit, non vero probat Janus a Coſta.

§. L.

Jani a Coſta poſtrema interpretatio excuſſa.

Neſcio an ipſemet hujusce interpretationis vitium agnoverit; ea namque ſtatim relicta, tandem inſinuare pergit poſſe etiam definitionem ex Stoicorum placitis explicari, qui neminem volebant juſte agere, niſi qui ita ageret, ut aliter non poſſet. At ſive id de operatione intelligat Janus a Coſta, quæ ſemper virtuti conveniat, ſive de intentione, nihil affert, quo Ulpianea definitio illuſtrari poſſit. Si enim ponamus de operatione loqui voluiſſe Ulpianum, quæ ſemper juſta eſſe debeat; licet non eam inficias, Stoicos credidiſſe, eum demum ſapientem, ſeu conſummatæ, ut ajebant, ſapientiæ virum eſſe, qui omnia recte faceret; id tamen conſtantis perpetuæque voluntatis ſignificatione exprimi non poteſt: ſin autem de intentione juſte agendi accipienda eſt definitio; ita ut bona intentio injuſtæ operationi præferatur, quem ad modum alibi idem Ulpianus c) opinionem prætulit veritati, amplius deliberandum cenſeo, & nonnihil vereor, ne JCtum excuſemus.

§. LI.

Noodtius rurſus notatus & confutatus.

Hanc ipſam ſententiam, ni fallor, magno apparatu ſuadere voluit Gerardus Noodtius, d) jactans, multos ſerio, paucos bene usque

a) l. 3. ff. de Uſurpat. & Uſucap.
b) Fragm. tit. XIX. §. VIII.
c) l. 15. ff. de acquir. vel omitt. heredit.
d) Probabil. Jur. Civil. lib. III. cap. I.

uſque adhuc definitionem illam explicaſſe. Utinam ipſe ſaltem doctiſſimus vir illius illuſtrationis laudem demeruiſſet; adeo ut abſtinere poſſem, eadem cenſura, qua alios notavit Interpretes, eundem perſtringere! Hic itaque etſi fateatur opinionem hanc eſſe Peripateticorum, conatur tamen Ciceronis auctoritate oſtendere, verbis tenus ab ea Stoicos diſcrepare, & cum his Ulpianum, re alioquin congruere; atque in hoc totam definitionis illuſtrationem collocat. Mihi non libet inquirere, conciliet ne Stoicos in hac ſententia, de qua agimus, cum Peripateticis Cicero, nec ne. id viderint alii, vel me tacente, qui Tullium adire non gravabuntur. Dicam duntaxat, non eſſe JCti, cujus juſtitiam definiens Ulpianus conſiderabat, agere, ut injuſta actio cum intentione juſta compenſetur. Quod ſi arripere velit Noodtius hanc definitionem, eandemque ad civium juſtitiam referre, nedum in Interpretum errorem, jam ſatis exploſum relabetur, circa Jurisprudentiæ objectum ſtatuendum; ſed nec idoneum dabit Ulpiani vindicem adverſus Hobbium, Pufendorfium, alioſque.

§. LII.

Inconſiderantia Wæchtleri quod ad Noodtium. conatus Noodtii amplius aperitur, & exploditur.

Hanc vero fuiſſe Noodtii opinionem Wæchtlerus annotator non vidit; a) quapropter ingenue affirmavit, *tectius* ſuam ſententiam expoſuiſſe, quam, quid ſentiat, liquere poſſit. Videamus num clariſſima ſit? Concludit Noodtius Ulpiano juſtitiam eſſe quidem habitum, ſed voluntatis, ſive animi. addit hoc eo pertinere, *ut juſtitia non qua actione, quamvis juſta, ſed voluntate juſte agendi, eaque perpetua, & conſtante cenſeatur.* Advertebat hæc Stoicorum principiis repugnare, b) neque ex Peripateticis eſſe Ulpianum, quorum ſuffragiis hujusmodi ſententia innitebatur; hinc rapuit Ciceronis c) quandam auctoritatem, eaque pugnam inter Stoicos, & Peripateticos ſublatam iri allucinatus eſt. Præter rem ergo Wæchtlerus cenſuit Interpretibus ſuccenſere Noodtium, quaſi non expoſuiſſent juxta Stoicorum principia juſtitiæ definitionem; cum id tantum perſuadere voluerit, ac ſi numquam prius animadverſum, auctorem eſſe Ulpianum

a) Wæchtler. in not. ad Gerard. Noodt. Probabil. Jur. Civil. lib. III. cap. I.
b) videſis Cicer. in Paradox. ad quem ipſe Noodt. provocat. adde Stanlejum poſt Laërtium P. VII. Doctr. Stoic. P. II. cap. XV.
c) Cic. in Paradox. & lib. IV. de Fin. cap. XIX. & XX.

pianum in hac definitione, ut operationes non eventu, ſed voluntate æſtimentur. Quo alioquin numquam Ulpiani prudentiam delapſam fuiſſe in legibus interpretandis credi poteſt, quum hæc unica via eſſet ad palliandas verſutorum hominum nequitias aptiſſima.

§. LIII.

Wæchtlerus confutatur.

Mallem ut ipſe Wæchtlerus clarius locutus fuiſſet in ea definitione illuſtranda, poſteaquam id oneris ſibi adſcivit, neque illo Ciceronis loco, quo definitionem perſpicuam reddidimus, ſpiſſiorem Ulpiano affudiſſet caliginem. Voluit enim βούλησιν, *voluntatem* Stoicis eſſe nec habitum nec animi facultatem, qua talem, ſed actum; propriaque adeo & nativa notione ſignificare ardentem propenſionem animi, cupide ſemper volentis bonum. Hæc profecto obſcuriora ſunt iis, quæ Noodtius extradebat, ſuntque ænigmata, quæ ſolvat Oedipus non Davus. Ut enim omittam verba confectari, id quod ad Stoicorum mentem maſcule exequi poſſem, quis intelliget non eſſe *animi facultatem qua talem*, ſed denotare *ardentem* propenſionem animi, quaſi actus animi, & animi propenſio una eademque res eſſent; animi vero facultas qua talis, & animi propenſio diverſum aliquid? Utique advertere potuiſſet idem auctor hæc eisdem, quibus utitur, argumentis convelli. Diſerte Seneca, a) quem adducit, virtutem eſſe animum quodammodo ſe habentem affirmat; & rurſus: *talis animus virtus eſt, hæc ejus facies.* Denique virtutem Stoicis nihil aliud eſſe, niſi convenientem animi per omnem vitam diſpoſitionem, Laërtius memoriæ prodidit. b)

§. LIV.

Turnebi laus, cui definitionis genuina interpretatio primum debetur.

At ſi ceteros Interpretes in hac definitione latuit Ulpianus, Adrianum Turnebum non fugit, cujus manes numquam ſatis fama commendabit. Is itaque, qui plures alios veterum auctorum locos feliciſſime illuſtravit explicavitque, in quibus forte diutius hæſiſſemus, etiam hunc Ulpiani aſſecutus eſt, illiusque explicationem vidit, deditque, etſi compendioſius & obſcurius, ac rei difficultas poſtularet. Quo circa quam mihi interpretationis laudem tribuebam, tamquam a nemine hucusque

a) Ep. CXIII. & ep. LXVI. b) Laërt. VII. XC.

obſervatam, cum tamen poſtea apud illum a) repererim, jure merito & libenter eandem illi concedo, contentus eruditiſſimi viri ſuffragio. Ceterum qui laborem hunc meum cum illo Turnebi conferet, intelliget cur nondum eidem obſequuti fuerint Interpretes, neque me, quod ſemper odi, actum egiſſe.

§. LV.

Concluditur prætermiſſis aliis juſtitiæ diviſionibus.

Supereſſet demum alias excutere juſtitiæ diviſiones, quas aggerant Interpretes, & cumprimis illam commutativæ & diſtributivæ juſtitiæ, ſeu arithmeticæ, & geometricæ proportionis, quam in Cicerone, in ipſis legibus, & in Romana diſciplina obviam deprædicat Contius, b) alii tamen aliter ſentiunt. c) item alteram expletricis & attributricis juſtitiæ partitionem, quam Grotius induxit. Verum quoniam nihil definitioni detrahunt, eas lubens prætereo; & duntaxat moneo Interpretes, ut caveant, ne quod legum objectum eſt, cum illo Juriſprudentiæ rurſus confundant, ſciantque idem vitii habere nimiam diviſionem, quod nulla; & ſimile confuſo eſſe quicquid usque in pulverem ſectum eſt. d)

SECTIO II.

DE JURE.

§. I.

Connexio hujus ſectionis cum præcedente, & præludia erroris Interpretum in notanda & explicanda Juriſprudentiæ definitione.

Præcedenti Sectione vidimus, perperam Ulpiano obſtitiſſe Interpretes ob definitionem Juſtitiæ, qua elegantiſſime Juriſprudentiæ objectum declaraverat. Hujusmodi allucinationis cauſſas fuiſſe deprehendimus, vel quia absque diligenti Juriſprudentiæ conſideratione, rectam applicationem actionum ad perſonas, ſeu externam juſtitiam, illius finem eſſe conſtituere; vel attentis alienis a Stoicorum philoſophia principiis, aſſecuti non ſunt, quo conſilio juſtitiam definierit Ulpianus. Sic variato confuſoque artis objecto, aliam neceſſario ejusdem artis ideam concipere debuerunt; & hinc juriſprudentiæ definitionem, quæ eundem

a) Turneb. Adverſar. lib. VIII. cap. XX.
b) Cont. Lect. lib. II. cap. VII.
c) Diſſ. de Præcognit. Juriſprud. Præſid. Godofred. Reinold. Kœſeliſio §. XIII. Svendendörfer. ad Joa. Strauch. Diſſ. I. III.
d) Seneca ep. LXXXIX.

eundem habet Ulpianum auctorem rejicere, aut ſaltem in illius interpretatione hærere. Sed redeunte naturali Jurisprudentiæ idea, ob reſtitutam, ſua venuſtate comperta, juſtitiæ definitionem, alterius quoque elegantia in Stoicorum doctrina diu latere non poterit. Merito igitur poſt enucleatum juſtitiæ conceptum, illum jurisprudentiæ, qui priori continuo ſubjicitur, a) excutiendum ſuſcipimus.

§. II.

Accurſii, Lycklamæ & Marcilii in rubricam cenſura.

Non deerunt Interpretes, quibus non arridebit, de jurisprudentiæ definitione me duntaxat acturum, de jure ſectionem inſcripſiſſe. Equidem ſi Accurſius, aliique Inſtitutionum Juſtiniani rubrum, quod *de Juſtitia & Jure* eſt, æquo latius patere aſſeverarunt, quia nullam ibidem juris definitionem tradiderat Imperator, vehementius obſtrepent mihi, de ſolo jurisprudentiæ conceptu dicturo. Eſt etenim Lycklamæ b) opinio, tantum jurisprudentiam a jure differre, quantum philoſophia diſtat a ſapientia; jus ſcilicet, ut ait, eſt ars ipſa, quæ per jurisprudentiam comparatur; Jurisprudentia autem ipſius artis ſcientia & cognitio; quem ad modum igitur philoſophia ſapientia non eſt, ſed philoſophiæ ope ad ſapientiam proficiſcimur, ita jurisprudentia jus non erit, licet per eam illud conſequamur. Aut ſi lubeat, jus & jurisprudentiam ejusdem artis eſſe nomina, in eo ſaltem diſcrepare aſſeret Theodorus Marcilius, quod jus artem æqui & boni generatim ſignificet; hæc contra ſpeciatim: artem videlicet boni & æqui Civilis, ſive Romani, forte ob diverſam jurisprudentiæ definitionem, communi interpretum errore deceptus.

§. III.

Rubricæ ratio, & aſſumuntur tres Jurisprudentiæ definitiones.

Ego vero, qui Ulpiani definitionem indagare affecto, niſi ipſius ſententiam ſequar. ille autem inter jus & jurisprudentiam, cum a rubro ad nigrum arguendo, tum aliis argumentis, c) nullum diſcrimen comperitur agnoſcere; & quamvis alium juris, d) alium jurisprudentiæ e) conceptum tradere videatur, utrius-

a) in Inſtit. tit. I. de Juſt. & Jur. & in l. 10. ff. eod.
b) Membran. lib. VII. eclog. XL. in pr.
c) Præſertim ex l 1. ff. de Juſt. & Jur. vid. Hahn. ad Weſenbec. n. XIV. ad verb. *Jus inquit &c. hoc eſt ſcientiam.*
d) d. l. 1. in pr. e) d. l. 10. eod.

utriusque ſignificatio aperienda eſt, priusquam diverſas eſſe definitiones aſſeri poſſit. Solet enim eadem res aliis perſæpe verbis explicari; idque tutius eſt, *ne una definitio parum rem comprehendat, & ut ita dicam formula excidat.* a) Quam ob rem aſſumam tres a JCto traditas juris ſeu jurisprudentiæ definitiones, quas ſi ita mihi explicare continget, ut in eundem conceptum, quaſi ſponte ſua conveniant, nedum luculentius evincam jus & jurisprudentiam idem eſſe, ſed etiam uniuscujusque ſenſum devinaſſe videbor.

§. IV.

Proponuntur.

Primam definitionem Stoicus Ulpianus ex ſuæ ſcholæ methodo dat, indagata nominis origine; b) eaque tradit *jus a juſtitia* appellari. c) Etſi namque hæc etymologiæ ſit indicatio; nihilominus quia clariorem rei imaginem notatio exhibet, ut ex Fabio & Theophilo Zuichemus Viglius, d) annotat, non inconcinne definitionis quædam ſpecies conſtituitur. Alteram porro definitionem, quaſi in fundamentum ſuæ etymologiæ adducit ex Celſo his verbis. e) *jus eſt ars æqui & boni.* Tertiam demum, & de qua potiſſimum quæſtio eſt, ſic ipſemet concipit. f) Jurisprudentia eſt *divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.*

§. V.

Vera non ſimulata philoſophia non eſt Ulpiano Jurisprudentiæ definitio.

Video ab Interpretibus g) ex aliis JCti verbis h) aliam afferri jurisprudentiæ definitionem, eamque dici *veram, non ſimulatam philoſophiam.* Quia vero duntaxat aſſerit Ulpianus, JCtos æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram philoſophiam, non ſimulatam affectantes, juſtitiam colere, & boni & æqui notitiam profiteri, haud mihi videtur intellexiſſe jurispruden-

a) Seneca de Clement. II. cap. III.
b) conf. Cicer. de Off. lib. I. cap. VII.
c) l. 1. ff. de Juſt. & Jur.
d) in commentar. ad tit. Inſtit. de Teſtam. ordin. ad pr. n. 21.
e) d. l. 1. ff. de Juſt. & Jur.
f) l. 10. D. & §. 1. Inſtit. de Juſt. & Jur.
g) Joann. Voët. in commentar. ad Pandect. lib. I. tit. I. n. 4.
h) d. l. 1. §. 1. ff. de Juſt. & Jur.

prudentiam eſſe veram & non fucatam philoſophiam, ſed potius affectare JCtos, dum juſtitiam colunt, & boni & æqui notitiam profitentur, veram philoſophiam non ſimulatam edocere; quod verbum, per ellipſim omiſſum, intelligendum eſſe, cum littera contextus, tum ipſa rei neceſſitate admonemur.

§. VI

Confirmatur.

Qua enim aliter ratione adfectatores philoſophiæ vocaret JCtos, quos jam, ſapientum propria appellatione, ſacerdotes eſſe dixerat? Si igitur ſapientes ſunt, non habent amplius, quam tenent philoſophiam affectare; ſed ut ceteros edoceant oportet, quum quicquam aliud ſapiens non ſit, quam humani generis pædagogus. a) Et ſane ſi homo probus fit iis virtutibus, quæ civiles exiſtunt; b) ſi civiles virtutes præcedunt purgationes, c) affectant docere veram philoſophiam JCti, & purgare cives, dum quicquid juxta, vel adverſus civiles virtutes contingat, inquirunt & aperiunt. Hinc ſicuti ipſi, licet alios edocere affectent, nequeunt philoſophiæ adfectatores vocari, non veniet hujus ſcientiæ nomine ars, in cujus demum cognitione verſantes, munus illud exequuntur.

§. VII.

Jurisprudentia abſciſſo philoſophiæ nomine non venit contra Heineccium.

Vel hinc ergo patet clariſſimi Anteceſſoris Joannis Gottlieb. Heineccii interpretationem admitti non poſſe, qua jurisprudentiam Ulpiano eſſe vult philoſophiam, quæ in juſti, atque injuſti ſcientia conſiſtat, motus præſertim, quia apud auctores jus civile philoſophiæ nomine venire non raro advertit. d) Ad hoc ut enim id tueatur, reſpiciendum non eſt, quid alii auctores aſſerant, ſed cumprimis an ex Ulpiani mente dicatur. Utique philoſophos ſi ſpectes, philoſophis indigere leges e) affirmabitur; & quartæ philoſophiæ diviſioni, quam tripartitæ illi a Platone, addiderunt quidam Peripatetici, accenſere videbis noſtram jurisprudentiam, ſiquidem, Seneca teſte, f) nihil ſcientiæ

F civilis

a) Seneca Ep. LXXXIX.
b) Hierocl. in Carm. Pythag. in præfat.
c) Porphyr. ap. Stobæum de Virt. Serm. I.
d) Antiquit. Rom. Jurisprud. illuſtr. lib. I. tit. I. & in Element. Jur. lib. I. cap. I. §. XXV.
e) Apollon. Taneus in ep. ad Mileſios.
f) Ep. LXXXIX.

civilis eſt, quod in illa morali parte non reperiatur. At JCti plus voluere de ipſorum arte, quam ut hoc ſimplici verbo, *philoſophia* appellaretur. Quam ob rem Cicero quoties cum illis confabulabatur, vel *ſapientiæ* a) vel *præpotentis & glorioſæ philoſophiæ* eandem inſignivit, manifeſto indicio exilius eſſe id nomen, ac juris arti conveniat. Poſt hæc unamquamque ex tribus adductis definitionibus, quas a Ulpiano inſtitutas eſſe ad juris, & Jurisprudentiæ conceptus explicandos, omnes recognoſcunt, expendere incipiam.

§. VIII.

Grammaticorum ſtricturæ ob primam Ulpiani definitionem, Interpretibus moleſtæ, & illaſtratio Juſtiniani in Novella LIX.

Aſſerit primo loco Ulpianus jus a juſtitia appellatum eſſe; atque ob hanc notationem occentare ſolent Ulpiano Grammatici, juſtitiam potius a jure, ſimpliciori nempe vocabulo derivari. Hinc plerique Interpretum, deſperantes Grammaticis ſatisfacere, mirificas, easdemque ineptas originationes b) comminiſcuntur, quæ ſuppleant vitioſam hanc JCti. Et revera præit ipſe Imperator Juſtinianus, c) & aliam ſequitur etymologiam, quum juſtitiam, a tribuendo cuique jus ſuum, nomen traxiſſe affirmet; niſi forte quia jus πολύσημον vocabulum eſt, & τȣ̃ πολυσήμȣ vocabuli diverſæ ſunt acceptiones, pro varia illius ſignificatione diverſa etiam etymologia aſſignari poſſit. Sane Juſtinianus juris nomine facultatem intelligit, unicuique legitime competentem; JCtus autem juris ſcientiam; hinc ille potuit a tribuendo cuique jus ſuum juſtitiam deducere; hic vero jus a juſtitia appellare; ſiquidem nondum liquet, an ut jus juſtitia prius eſt, ita hæc juris ſcientiam præcedat.

§. IX.

Ob Ulpianam etymologiam, a Stoicis principiis derivatam, Grammaticorum ſtricturæ frigeſcunt. Menagius aliique notantur.

Verum Grammaticos quod attinet cenſeo præter rem penulam ſuam excedere, & ferulam promereri, quando obela acuunt adverſus Ulpianum. Longius hic aberat, ac occupari vellet cum Grammaticis; ſed Philoſophos ſecutus, d) & cumprimis Stoicos, ex nomine appellationeque originem rei & ſubſtantiam eruere allaborabat. Scilicet, juxta Zenonis ſententiam,

a) de orat. lib. I. XLIII.
b) Voſſ. in Etymolog. Rom. voc. *jus.*
c) Novell. LIX. in princip.
d) vid. Contium lect. lib. II. cap. VI.

tiam, nomina natura valent, vocibus primum pronunciatis, res ipſas imitantibus, a quibus poſtea fiunt nomina. a) & hac ratione Stoici, cur unumquodque vocabulorum ita appellatum ſit, cauſſas explicare aggrediuntur. Hujusmodi notationum exempla plurima habet Cicero, b) inter quæ præſtantiſſimum illud eſt, quo *fidem,* Stoicorum more appellatam aſſerere confidit, quia *fiat quod dictum eſt,* quanquam animadvertat, fore ut id cuipiam durius videatur. Pari, ni fallor modo Ulpianus jus a juſtitia deducit; & ideo ex juris definitione ſuæ etymologiæ argumentum petit. *Juri operam daturum,* ait ille, *prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat. Eſt autem a juſtitia appellatum; nam, ut eleganter Celſus definit, jus eſt ars boni & aequi.* Quum igitur non vocis originem juxta Grammaticos, ſed juxta Stoicos inquirat Ulpianus, dum alias juris notationes ex grammaticorum regulis excogitant & tuentur Menagius, c) & plerique, nonne derelicto ſeduli interpretis munere, hujus loci explicandi illuſtrandique opus peſſimo exemplo contemnunt?

§. X.

Itaque ut evitem, quod aliis ſuccenſui, inhærebo notationi, a JCto traditæ, ejusque rationem haurire pergam. tametſi namque non amplius originem vocabuli, ſed ipſius rei ſpectare debeam, nihilominus difficile adhuc eſt, cur juſtitia jure prior dicatur. etenim ſi juſtitia juris ſcientia habetur, quod vel ipſa græca appellatio ſatis declarat, Δικαιοσύνη, quaſi δικαίου σύνησις, jure, cujus ſcientia eſt, poſterior erit, quemadmodum arithmetica & muſica numerum ſubſequuntur, & cantum; d) ita ut nec re attenta jus a juſtitia derivari poſſe videatur.

Proponitur objectum, quo minus adhuc jus a juſtitia appelletur.

§. XI.

Varias JCrum Conani, Rævardi, Bologneti, aliorumque ſententias recenſet Wilhelmus van der Muelen, e) quibus ſuam addit, ut in quacumque conſideratione juſtitia veniat, prior & antiquior jure concipiatur. Mihi absque verborum ambagibus, circuitionibusque, quæ eo ſæpe redeunt a quo abeſſe ſtudent,

Conatibus Interpretum rejectis reſpondetur objecto, aperiturque e Stoicis etymologiæ Ulpianeæ ratio.

a) Stanlejus cit. P. VII. Doctr. Stoic. P. I. cap. X.
b) de Nat. Deor. lib. III. cap. XXIV. & de Offic. lib. I. cap. VII.
c) Amœnit. Jur. Civil. cap. XXXIX.
d) conf. Ariſtot. lib. V. de Mor.
(e Exercit. in tit. D. de Juſt. & Jur. ad l. 1. p. m. 12. & ſeq.

dent; perſpicua valde apparet hujus appellationis ratio, ſi perpenſis Ulpiani verbis, Stoicos conſulam. Ait igitur jus a juſtitia appellari, quia jus eſt ars boni & æqui. ac ſane ita eſt, ſi juſtitiam recte dixerunt Stoici eſſe ſcientiam tribuendi cuique jus ſuum; a) nam niſi conſtet quid jure quid injuria fieri committive poſſit, quid in hoc vel illo caſu cuique tribui, nulla eſt æqui & boni ars, nullum jus; hoc autem niſi a ſcientia tribuendi cuique jus ſuum habetur; qua propter ipſa juris ars, quæ id aperit, ab eadem ſcientia erit, nimirum juſtitia; ex qua proinde jus, quatenus eſt ars boni & æqui appellationem ſuam trahet.

§. XII.

Tranſitio ad ſecundam definitionem, juris & æquitatis differentia firmatur, ob quam nonnulli negant jus ſcriptum eſſe æquitatem.

Porro an jus ars æqui & boni recte definiatur; ideoque an admittenda ſit altera hæc ab Ulpiano ex Celſo tradita juris deſcriptio, quam hactenus tantiſper aſſumpſimus ad eruendam juris vocabuli etymologiam, deinceps inquiram. *Inter jus, & æquitatem hoc intereſt*, aſſerit Ælius Donatus. b) *jus eſt, quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitas eſt, quæ de jure multum remittit.* Huic juris, æquitatisque differentiæ nedum paſſim ſuffragantur auctores, cum Græci, c) tum Latini, d) & ipſæ leges, e) quid quod idem noſter JCtus adſtipulatur, f) quando docet, prætorem uti æquitate, animadvertendo in eum, qui alioquin, civili tantum jure inſpecto, remaneret impunitus; quandoquidem ſicuti jus omnia recta & inflexibilia exigit, quæ legibus comprehenduntur, ita quicquid legibus comprehenſum non eſt, æquum licet, remittit; hinc qua ratione æquitas nonnihil jus emollit, ubi durius eſt, etiam ubi remiſſius ſupplet & intendit, ne jus ſtrictum aliquando obtineat. Quare interpretes aliqui credidere, æquum & bonum a jure legitimo ſive ſcripto differre, quaſi nulla æquitas ſcripta reperiretur, omniſque æquitas juris ſcripti & legitimi emendatio eſſet, adeo abeſt in horum ſententia, ut juris nomine æquum & bonum comprehendatur.

§. XIII.

a) Stanlejus cit. P. VII. Doctr. Stoic. P. II. cap. IX.
b) in Terent. Adelph. I. I. 27.
c) Ariſtot. Ethic. V. cap. X.
d) Valer. Maxim. lib. VI. cap. de Juſtitia.
e) l. 25. ff. de legib. l. 1. C. eod. l. 8. C. de Judic. &c.
f) in l. 1. ff. de eo, per quem fact. erit l. 1. §. 2. ff. ſi quis teſt. lib. eſſe juſſ.

§. XIII.

Profecto quamquam eorum partes procul habeam; & ideo nulla me urgeat neceſſitas adducendarum legum, a) quibus hanc ſuam ſententiam inniti præſumunt, prætermittere tamen nequeo Wilhelmi van der Muelen, b) aliorumque opinionem, qua jus æquum & bonum, nedum adverſus prædictos Interpretes, ſed etiam contra veterum auctoritatem, idem eſſe defendunt. Video Senecam in his verſibus: c)

Opinio van der Muelen, & Senecæ locus excuſſus.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

æquum dicere, quod *juſtum* interpretandum videtur; at vix alibi in hac ſignificatione æquum uſurpari reperies; d) & iccirco haud ſufficit ad convellendas adeo manifeſtas auctoritates, quibus jus, æquum & bonum ſeparantur.

§. XIV.

Provocat quidem ille ad Ariſtotelem; e) ex eoque opinionis ſuæ omne fundamentum adſtruere conatur. Ariſtotelem in hæc verba adducit: *interdum dum rationem ſequimur, abſurdum videtur, æquum & bonum ſi præter jus quiddam eſt, eſſe laudabile. Vel enim jus non eſt honeſtum, vel æquum & bonum non eſt jus, ſi diverſum quid eſt: vel ſi utrumque eſt honeſtum, idem utraque ſunt.* at vero ex his verbis, & præſertim ex integra illius loci inſpectione, potius apparet æquum ab Ariſtotele referri ad juſtitiam, tanquam ſpeciem ad genus, quam ut omne æquum juſtum eſſe dicatur. Moveor etiam in hæc ſenſa, quia Cicero, f) optimus Ariſtotelis interpres, hoc ipſum declarat. g) Qua propter cum res ita ſe habeat, omne æquum juſtum erit, ſed non omne juſtum æquum. vel igitur Ariſtotelis teſtimonio jus patet latius, quam æqui & boni appellatione complectatur.

Ariſtotelis locus, cui inhærebat Muelen, in eundem inverſus.

a) l. 16 ff. de condit. & demonſtrat. l. 2. §. 5. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.
b) cit. Exercit. in tit. D. de Juſt. & Jur. ad l. 1. p. m. 15. & ſeqq.
c) Med. Act II. a v. 199.
d) Rob. Stephan. Theſaur. L. L. Tom. I. ſub voc. *æque adv.*
e) Ethic. cit. Lib. V. cap. X.
f) in Top. cap. XXIII. & ſeq.
g) conf. Carol. Selvagh. de orig. Ethim. & Præſt. Pandect. in Pandect. I. tom. I. Theſaur. Jur. Otton. col. 17.

§. XV.

Jurisprudentia non complectitur ſummum jus adverſus Cujacium & van der Muelen.

Hinc quamvis æquitatem cum ſeveritate componi admittatur, ut jam placuit D. Thomæ, a) et nos ex Ulpiano confirmavimus, b) nondum propterea evincitur jus, æquum & bonum eadem eſſe vocabula, niſi oſtendatur, non ſolum ſeveritatem, ſed præterea jus ſtrictum, ſeu, ut ajunt, juris rigorem in æquitate contineri. Hæc, ni fallor advertit van der Muelen, ideoque ſummum laudavit Cujacium, qui ſenſu æquum & bonum haud diſcernendum ſtatuit, & idem complecti putat etiam rigorem juris. Veneror Cujacium; ſed legibus utor in jure civili, & rationibus, quas neuter eorum idoneas aſſerunt, ad probandum jus, æquum & bonum ejusdem eſſe ſignificationis. Aſſerere namque, juris rigorem, dummodo ſaltim pari paſſu cum juſtitia ambulet, partem eſſe jurisprudentiæ, non probat boni & æqui nomine jus venire, & ſolum evincit, jus artem æqui & boni perperam a Celſo definiri; quare negandum potius videtur, juris rigorem eſſe partem jurisprudentiæ, præcipue quia aſſequi nequit, quo pacto ſtatuatur, eundem cum juſtitia pari paſſu incedere. Et ſane ita eſt, ſi recte ſentio. Fertur enim communi veterum dicterio: *ſummum jus, ſumma injuria*, c) & non judex, non jurisperitus;

- - - ὁ δ' ὁρῶν τὰς νόμους
Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται d)
- - - ſed is, qui legibus utitur
Nimium exacte ſycophanta eſſe videtur.

præterea jurisprudentiæ munus eſſe juris rigorem vitare, pluribus legibus e) compertum reperio.

§. XVI.

Ex varia juris acceptione exploditur difficultas, & ſecunda definitio explicatur.

Hunc nodum ut pro mea parte reſolvam; ſiquidem Ulpiano jus, & jurisprudentiam ejusdem artis diverſa eſſe vocabula prudenter jam ſuſpicari mihi viſus ſum, putarem in ejus ſententia,

a) 2. 2. q. 120. art. I.
b) Supr. Sect. II. §. XII.
c) Cic. lib. 1. de Offic. cap. XXXIII. Columella de R. R. lib. I. cap. V. Terent. Heauton Timor. Act. IV. Scen. V. v. 49.
d) Menander ap. Stobæum Ser. XLII. de Legib. & Conſuetudin. p. 277.
e) l. 90. ff. de R. J. l. 17. ff. de Legib. l. 8. C. de Judic. & paſſim.

tentia, non minus a jure ſtrictum jus alienum eſſe, ac a jurisprudentia recedat; & hinc jus artem æqui & boni recte definiri. Audacius hanc opinionem confovebo, ſi bene perpenſa juris multiplici ſignificatione, nihil in hac re veteres adverſari recognovero. Jus itaque *materialiter & latius ſumtum*, ut loquitur Hahnius a) pro *juſto* ſive *legitimo* accipitur; hoc eſt, quod lege præſcriptum eſt, legive conſonat, cui adverſatur *injuſtum* in illa ſignificatione, qua is, qui a lege diſcedit, injuſtus dicitur. Rurſus hoc nomen, præter alias ſignificationes, frequentiſſime accipitur pro ipſa *arte, qua injuſtum cognoſcitur*. Jus primo modo ſumtum; pro ut nempe denotat id, quod lege præſcriptum eſt, legive conſonat, utique omnia recta & inflexibilia exigit, cum ab his, quæ legibus ſcita ſunt, recedere non poſſit. At jus, ſeu ars, qua juſtum intelligimus, quia in id inventa eſt, ut per æquitatem legibus ſubveniat, quid ni ars erit boni & æqui? *Neque enim leges, neque SCta, ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur*; b) & ideo ſæpe contingit, ut jus generalibus verbis ſcriptum, in quibusdam cauſſis æquum non ſit, ut ſervetur; & ob contractam ſtricti juris, ex verbis legum, injuriæque qualitatem, a jure civili, illis legibus, & SCtis comprehenſo recedat; quod quia æquitas eſt conſtituta iis, qui ejusdem civitatis ſunt ad res ſuas obtinendas, c) cum ſummo jure ſummaque injuria componi non poteſt. ut ergo hæc æquitas, generaliter indicta, etiam in quibuscumque caſibus cuſtodiatur, reperta eſt ars æqui & boni, quæ id præſtet ad optimam civitatis diſciplinam; etenim juxta illud Antiphanis.

Τὸ καλῶς ἔχον που, κρεῖττόν ἐστι καὶ νόμου.

Id quod recte habet, etiam lege præſtantius eſt.

§. XVII.

Neque quamvis Imperator d) inter æquitatem, jusque interpoſitam interpretationem ſummæ poteſtati duntaxat reſervari jubeat, in aliud adinventam eſſe Jurisprudentiam credendum eſt, ac æquitati ſervandæ. Id namque præcipit Imperator,

Excitatur objectum, eique occurrendo illuſtratur definitio.

a) in obſervat. ad Weſenbec. commentar. in lib. I. tit. I. ff. de Juſt. & Jur. n. XIV. & communiter Interpretes.

b) l. 10. ff. de Legib. Ariſtot. Ethic. cit. lib. I. cap. X.

c) Cic. in Top. cap. II.

d) l. 1. C. de Legib.

tor, ſi æquitatis prætextu manifeſtis legibus derogari præſumatur. a) Sed ubi lex ſcripta palam negotium non definit, jurisprudentiæ locus patet, requiriturque ars æqui & boni ad cuſtodiendam legislatoris voluntatem; huic enim arti per notitiam eorum, quæ naturali ratione comperta, ſcriptisque legibus prodita ſunt, cum quod ad divina attinet, tum quod ad humana, juſtitia moderante, quid æquum ſit, quid iniquum, quid jure factum, quid injuria inveſtigare relinquitur, & definire quid juſtum injuſtumque, ad hoc ut cives intelligant, quæ ſibi per leges liceant, declinent vero quicquid legibus adverſatur. Atque animadvertens prudens Ulpianus, obſcurius id a Celſo in ſua definitione expreſſum eſſe, opportunum duxit tertiam ſubjicere juris definitionem, eandemque latiorem, qua uno veluti intuitu hæc omnia percipi poſſent. Quam ob rem, *jurisprudentia eſt*, dixit, *divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.*

§. XVIII.

Quorundam Interpretum ſcommata in poſtremam Ulpiani definitionem.

Hanc præſertim definitionem illuſtrare inſtituimus, qua tametſi nitidior excogitari non poſſit; tamen aliquis Interpretum, ut negligentius confectam damnat & rejicit. b) aliquis venditat, jurisprudentiam in libera republica ancillulam & pediſſequam tantum eloquentiæ habitam, demum ſub Imperatoribus caput extuliſſe, factamque fuiſſe æmulam Oratoriæ, & Philoſophiæ, atque affectatricem harum dignitatis & vanitatis, idque ex ipſa definitione apparere. c) Porro cui perſuaſum eſt, ſapientiæ potius quam jurisprudentiæ, definitionem convenire, repetundarum in hæc injurioſa verba poſtulat Ulpianum. d) *Quum etiam definit* Ulpianus *jurisprudentiam: rerum divinarum & humanarum notitia, nonne ambitioſe affectat ſapientiæ munus, & ejus ornamento arti ſuæ decus quærit? Nam ſapientia rerum divinarum & humanarum cognitio dicitur, & cauſſarum, quæ res eas efficiunt, & continent. Eam ſcientiam libenter philoſophis adimeret, ſuis attribueret Ulpianus &c.*

§. XIX.

a) Dionyſ. Gothofr. in not. ad d. leg.
b) Chriſt. Thomaſ cit. lib. I. Inſtit. tit. I. de Juſt. & Jur.
c) Leyſer. Specim. II. Medit. I. ad D.
d) Adrian. Turneb. cit. lib. VIII, Adverſar. cap. XX.

§. XIX.

Deſudarunt alioquin plerique ſtudio defendendi Ulpiani, & quaſi ægre ferentes pulcherrimam definitionem jurisprudentiæ abjudicari, conati ſunt oſtendere, ob ea verba: *juſti atque injuſti ſcientia*, aliud JCtum expreſſiſſe, ac de philoſophia poſſit intelligi. Interim variæ naſcuntur ſententiæ, nec levis ſit diſſenſio. Si namque JCti ſermonem reſtringamus ad notitiam juris & legum rerum divinarum & humanarum, ut placuit Hermanno Conringio a) & contextus verborum efflagitare videtur; aut ſi cum Scholiaſte τῶν Βασιλικῶν ad ſcientiam coarctemus, *quæ in venerandis & non alienandis ſacris conſiſtit*, non deerunt, qui ſerio contendant in divinis & humanis verſari ſcientiam juſti & injuſti, idque innuiſſe Ulpianum, etſi vulgari locutione conjuncta verbis disjunxerit. *aliorum tentamen pro ſalvanda definitione Ulpiani. Conringii & Scholiaſtis Baſilicorum interpretationes exagitatæ.*

§. XX.

Si detur in divinis et humanis verſari ſcientiam juſti, & injuſti, & verbis tenus conjuncta ſeparari, cum ſacra & humana legibus regantur, neque juris tantum profani, ſed etiam ſacri prudentia ad JCti officium pertineat, ut Bynkershœkius, & Huberus exiſtimant, b) & ferme plerisque probatur, intercedet Bachovius, c) opponetque, neminem niſi ipſum Deum rationem ſui colendi docere poſſe; & iccirco Lycurgum ab Apolline, Minoa a Jove, Numam ab Egeria leges, quas promulgarunt acceptas duxiſſe. Nec quamquam Bachovio ſatisfieri credatur, aſſerendo, quod Lacedæmonii Cretenſes & Romani, poſteaquam receperunt eas leges propriæ ipſorum civium fuerint, quas obſervare judices, & juxta quas reſpondere JCti adigebantur, expedita eſt difficultas; nam tunc prævalebit Conringii ſententia, definitionem nempe reſtringendam eſſe ad notitiam juris & legum rerum divinarum & humanarum, ut earundem executio tantum urgeatur; non autem quaſi quod in divinis & humanis juſti injuſtique ſcientia verſetur, quod Bynkershœkio libebat. *item Bynkershœkii, & Huberi.*

§. XXI.

Præterea ſi cetera deficerent, vel eo nomine reprobanda eſſet hæc Bynckershœkii interpretatio, quia definitionem convellit. *confutatio Bynkershœkii.*

a) de Prudent. Civil. cap. III. §. VII.

b) Bynkershœk. de Relig. Peregr. Diſſ. I. in pr. Huber. Prælect. ad lib. I. Inſtit. de Juſt. et Jur. §. V.

c) ad Pandect. ad d. l. 10. §. 2.

vellit. Quandoquidem non intelligitur quid ſit jurisprudentia ex eo quod in divinis & humanis verſetur ſcientia juſti & injuſti; nec igitur veriſimile eſt id aſſeruiſſe Ulpianum, dum jurisprudentiæ conceptum explicabat.

§. XXII.

Conringius in ſuſpicionem actus, licet juris divini notitiam Jurisprudentiæ convenire non abnuatur.

Sed ut ſenſa mea liberaliter prodam, nec Hermanni Conringii arridet explicatio, imo ſuſpecta nonnihil mihi eſt. Non jam avellam a Jurisprudentia juris divini cognitionem; nec enim me latet legumlatores, & JCtos ob juris divini & humani peritiam ac ſcientiam paſſim laudari apud veteres ſcriptores, a) & poſteaquam a Pontificibus, qui jus ſacrum conſtituebant & interpretabantur, ut Dionyſius Halicarnaſſeus b) auctor eſt, quique ipſi jus civile moderabantur, c) ad JCtos dolo bono Flavii ſcribæ profani juris cognitio & cura tranſiit, eos de ſacro jure etiam ſolicitos, utrumque deinde profeſſos fuiſſe. Et ſane ſupereſt etiamnum memoria librorum, quos de jure Pontificum, aliisque rebus, ad ſacra pertinentibus edidere. Nec hodie deſunt in Juris Corpore d) de Summa Trinitate, de Fide catholica, de Haereſi Imperiales Sanctiones, quibus non utetur JCtus, niſi SS. Patrum Concilia calleat & teneat.

§. XXIII.

Conringius confutatur.

At his non obſtantibus, merito fors contendo non poſſe hanc Ulpiani definitionem, quæ de divinis rebus loquitur, & humanis, intelligi de notitia juris & legum, quæ verſantur circa res divinas & humanas. Moveor ut ita exiſtimem, quia in hac interpretatione fatendum eſſet, vanitate quadam ductum Jurisconſultum, maluiſſe ampulloſis fucatisque verbis jurisprudentiam definire, quam appellatione juris & legum, quæ ad divina & humana pertinent, perfectam perſpicuamque artis ideam injicere. Adde quod jus, ad ſacra pertinens, dicatur jus cum religione conjunctum, e) neque rerum divinarum appellatione res ullibi intelligantur, de quibus jure aliquid proditum ſit; imo in Jurisprudentia Romana *res divini humanique juris* proprie devocitari ſolent, cum res humanæ ſint, divini tamen juris, utpote rebus ſacris & ſanctis deſtinatæ. §. XXIV.

a) Tacit. Annal. lib. III. cap. LXX & lib. VI. cap. XXVI. Gell. Noct. Attic. lib. XI. cap. XVIII. b) Antiq. Rom. lib. II p. m 132. & ſeq. c) l. 2 §. 6. ff. de O. J. & paſſim. d) Cod. lib. I. tit. I. & tit. V. e) Cic. de legib. lib. II. cap. XIX.

§. XXIV.

placitum eorum, qui per τὸ divinarum & humanarum rerum notitiam omnes res & ſcientias complecti aſſerunt.

Neſcio an hinc factum ſit, ut alii Interpretes ab his & hujusmodi interpretationibus diſceſſerint in alias opiniones, quarum, præcipuas ſaltem, attingam, ne præter neceſſitatem ab aliorum placitis diſcedere videar. Sunt igitur, qui id, quod de Oratore ſenſit M. Tullius, non poſſe, videlicet, eum omni laude cumulari, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus, a) etiam de Jurisconſulto, ob cognationem, quæ inter jus & oratoriam intervenit, affirmant: atque id factitaſſe veteres, qui jus civile profitebantur, omnesque ſcientias complexos fuiſſe, ampliſſimo Antonii Auguſtini teſtimonio confirmatur. b) Hinc hoc ipſum nos docuiſſe Ulpianum per ea verba: *divinarum atque humanarum rerum notitia* arbitrantur; ita ut perfecta jurisprudentia ex omnium rerum atque artium cognitione extruenda ſit, c) ſtentque valida pro encyclopædia argumenta, quæ ex hoc loco jam Budeus deſumpſerat.

§. XXV.

oppugnari inſtituitur ob teſtimonium Scævolæ de facili juris civilis cognitione.

Equidem putabam juris civilis cognitionem cumprimis a Jure Naturæ, in cujus anguſtum quendam locum concludi audiveram; d) tum ſiquidem Romanis conſtitutum erat, ex illarum gentium inſtitutis, & linguæ peritia hauriendam eſſe. Quæ omnia, quamvis nobis difficillima, veteribus tamen faciliora erant, quia in iisdem moribus verſabantur, & genuinam prope linguam habebant, in quibus ediſcendis eruendisque potiorem ætatis partem hac nos tempeſtate conſumere adigimur. Quam ob rem non demirabar Scævolam, qui jus civile primus conſtituit, e) aſſeveraſſe nullius ſibi artis faciliorem cognitionem videri. f) Jam vero ſi ex omnium rerum artiumque notitia perfecta jurisprudentia comparanda eſt, Scævolæ ſuccenſeo, & frangor animo, tædetque excolendæ arti nomen dediſſe, cujus perfectam notitiam aſſequi non poſſum; ſiquidem fieri nequit, omnium rerum, artiumque ſcientiam tenere.

§. XXVI.

confirmaturque exemplis

Id profecto mihi ſentiendum eſſet, niſi meminiſſem rem

eventu

a) de Orat. lib. I. cap. VI. b) in præfat. ad IV. lib. Emendat. & O...

eventu aliter comprobatam eſſe. Stultus ſim, ſi credam Quintum Mucium, qui generatim in libros decem & octo jus civile redegit; a) Julium Cæſarem, qui jus civile ad certum modum redigere, atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinaverat; b) Marcum Tullium, quem de jure civili in artem redigendo ſcripſiſſe memoriæ prodidit Gellius, c) illuſtres licet viros, res omnes, artes omnes calluiſſe. Omnes quidem artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur; d) at quod adeo neceſſaria ſit iſta connexio in jurisprudentia, ut niſi ex omnium artium cognitione perfecta illa comparari poſſit, æque vanum eſſe opinor, ac illud, quod aliquis in omnium artium genere poſſit excellere. Præ ſe ferant itaque veterum fragmenta, quæ in Pandectis ſuperſunt aliarum artium quasdam notas, vel communi ſenſu, vel aliunde petitas, non tamen continuo omnes artes profeſſos fuiſſe evinci poteſt.

§. XXVII.

confutatio dilemmate concluſa.

Sequitur itaque, ut mihi concluſa ſit hæc diſputatio; aut priſcos Jurisconſultos non calluiſſe perfectam Jurisprudentiam; aut ſine omnium rerum, artiumque notitia abſolutam juris cognitionem conſiſtere poſſe. Video cogi diſſentientes in id, ut ignorantiæ labe in jurisprudentia inficiant veteres illos, quorum alioquin auctoritates in jure veneramur; priusquam vero adeo iniquam pronuncient ſententiam, ne tædeat conſulere Alberici Gentilis eruditum dialogum, qui inſcribitur *Scævola*, quo fortaſſis in ſaniorem ſententiam tranſibunt. Ego vero pro inſtituti mei ratione facile oſtendere poſſe confido, auctorem non eſſe Ulpianum ob jurisprudentiæ definitionem, ut res omnes, omnes artes ad perfectam juris cognitionem tenendæ ſint. Quandoquidem quum reſponderet tunc percunctanti, quid eſſet jurisprudentia, veriſimile non eſt, indicare voluiſſe hæc, quæ media prætenduntur, ad juris ſcientiam comparandam, quod alterius quæſtionis erat. In horum igitur Interpretum explicatione, vel in reſpondendo ſibi non conſtitit Ulpianus, vel dicendum

a) d. l. 2. § 41. D. de O. J. b) Sueton. in Jul. cap. XLIV. c) Gell. Noct. Attic. lib. I. cap. XXII. conf. ipſum Cic. de Orat. lib. I. cap. XLII. d) Cic. pro Archia I. conf. Vitruv. lib. I. cap. I.

cendum eſt, juxta illum jurisprudentiam eſſe cognitionem omnium rerum & artium, ac ſcientiam juſti & injuſti, quod rurſus futile eſt, quia nulla invenitur juſti injuſtique ſcientia, niſi juris & injuriæ cognitio ſit, quam omnium rerum, & artium notitia non præſtat.

§. XXVIII.

Poſt Weſenbecium ſe nobis exhibet M. Lycklama, a) qui novam definitionis expoſitionem inducens, vult jurisprudentiam definiri, divinarum humanarumque rerum notitiam, eo quod divinis præſit, honeſtatem præcipiendo; humanis autem, dum turpitudinem omnem prohibet. Atque huic ſuæ interpretationi favere exiſtimat Chryſippum, b) quum legem vult reginam eſſe rerum divinarum & humanarum, quod præſideat rebus honeſtis & turpibus; etenim, ut ait, *fatendum eſt, naturam humanam ad delicta & turpia labi quodammodo impetu quodam.* c) Ex his conjicere licet, hunc interpretem ejus eſſe ſententiæ, ut honeſta omnia divinæ attribuat naturæ, turpia vero humanæ; hinc velle, quod quum jurisprudentia turpibus & honeſtis præſit, divinarum ſit, & humanarum rerum notitia. *Lycklamæ excogitatum.*

§. XXIX.

Sed hæc nulli ſuadere poterit Lycklama, cum facili negotio appareat, neque Chryſippum, neque Ulpianum talia ſenſiſſe umquam, eorundemque auctoritatibus perperam inniti. Erat enim uterque ſummæ ſtoicæ ſapientiæ philoſophus; & hinc verborum elegantiæ ſtudioſiſſimus; quare omne ruit fundamentum, quo adſtruatur, alterutrum voluiſſe humanæ naturæ turpia deberi. Nam Stoici optimam uniuscujusque naturam eſſe putabant, quod innumeris prope locis proditum eſt. *is qui ſecundum ſuam naturam vivit*, ait Seneca, d) *facit id, quod ratio exigit.* & rurſus: *quid autem eſt ratio? naturæ imitatio. quid eſt ſummum bonum? ex naturæ voluntate ſe gerere*, convenienter quidem ad doctrinam, quam a Zenone acceperant, qui perturbationem definierat, contra naturam animi commotionem. e) *fundamento deſtituitur.*

mentum Lycklamæ illuſtrantur.

illis legibus, quas adduxit Lycklama, aliquid in ſuam ſententiam probare poſſit, cum in una, a) ad Chryſippi verba provocetur; altera b) vero ex Ulpiani libro undetrigeſimo ad edictum excerpta ſit. Ac ſane, quod ad primam attinet, tutius eſſe exiſtimo vulgatam græci textus verſionem ſequi, ac illam Lycklamæ. In id maxime impellor, quia illa Pindari apud Platonem legis definitio, a qua ſuam accepiſſe Chryſippum, admodum veriſimile videtur, c) expoſitioni, quam excogitavit Lycklama, nequit accommodari, & ideo neque eandem expoſitionem Chryſippeæ definitioni convenire opinor. His verbis uſus eſt Pindarus: νόμον εἶναι πάντων βασιλέα θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, *legem omnium eſſe reginam, deorum & hominum.* Mallem hæc attendiſſet Lycklama, nec non id, quod apud Euripidem Hecuba declarat, videlicet alicui legi parere & ſubeſſe deos, quos itidem lege cum hominibus conſociatos Tullius d) demonſtrat, quam ut tantopere naturæ humanæ detraxiſſet. Altera autem lege, quæ adducitur, non eſt cur nobis negotium fiat. Ulpiani quidem eſt; at non ipſe loquitur, & fatetur ſe SCti Macedoniani verba referre, quæ vulgari loquentium conſuetudini accommodata, loco animi depravati, naturam incuſant, multorum ſcelerum cauſam.

§. XXXI.

proponi informatur noſtra definitionis expoſitio.

Poſteaquam hæſiſſe quotquot hactenus retuli Interpretes in hujus etiam definitionis explicatione perſpicuum eſt, meam opinionem verecunde ſubnectam. Dixi, e) attenta Jurisprudentiæ natura, Celſum, quum jus definivit artem æqui & boni, innuere voluiſſe artem, quæ per notitiam earum rerum, quas aut naturalis ratio docet, aut ſcriptæ leges produnt, cum quod ad divina attinet, tum quod ad humana, juſtitia moderante, quid æquum ſit, quid iniquum, quid jure factum, quid injuria, inveſtigat, juſtum injuſtumque decernit; idque a Ulpiano clariori ſenſu expreſſum, aſſerendo jurisprudentiam eſſe, divinarum atque humanarum rerum notitiam, juſti atque injuſti ſcientiam. Hoc utique evincam, ſi & artem ipſam, & definitionis verba hunc ſenſum exigere & recipere demonſtravero.

§. XXXII.

a) l. 2. ff. de legib. b) l. 1. ff. de SCto Maced. c) conf. Muret. in not. ad Senec. de Providentia lib. I. n. 18. d) de Legib. lib. I. cap. VII. e) ſupra Sect. II. §. XVIII.

§. XXXII.

Ac illud ſane cumprimis certum eſt, ad juſti injuſtique ſcientiam neceſſariam eſſe notitiam juris & injuriæ, quæ comperta eſſe non poteſt, niſi præter publicas tabulas, jura etiam teneamus extra eas tabulas poſita, omniumque cordibus inſcripta. Haud enim legibus omnia continentur. *Quam anguſta innocentia eſt*, opportune Seneca, a) *ad legem bonum eſſe? quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* & Papinianus noſter. b) *verum tamen quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione judicantium.* Sic quia, ut rem exemplo declarem, regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, non minus tamen injuſtum facinus Sexti Tarquinii per vim Lucretiæ, Tricipitini filiæ illatam dejudicarunt Romani, in quod publice animadverteretur.

aſſumitur Juris Naturalis neceſſitas ad Juris civilis notitiam.

§. XXXIII.

Conſtat igitur ad juſti injuſtique ſcientiam præmittendam eſſe notitiam eorum, quæ juris & injuriæ regulas detegant; has autem rerum divinarum & humanarum appellatione elegantiſſime expreſſiſſe Ulpianum mihi videtur. Nec enim dicere poterat, juris artem eſſe notitiam legum divinarum & humanarum, juſti injuſtique ſcientiam. Etſi namque lex proprie ſit naturæ vis, mens ratioque prudentis, juris atque injuriæ regula; c) quia tamen in populari ratione omnis Ulpiani verſabatur oratio, & populariter ea lex appellatur, quæ ſcripto ſancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, non ſufficiebat in vulgari acceptione id nomen indicandis illis omnibus, quæ noſcenda erant JCto ad juſti injuſtique ſcientiam. Quam ob rem divinarum atque humanarum rerum, ſeu officiorum nomine, quo omnia veniunt, quæ cum Deo tum hominibus cum ratione debentur, uſus eſt.

rerum divinarum nomine jus naturale ſignificavit Ulpianus.

§. XXXIV.

Nec novum eſt, *res officia* ſignificare. Hac phraſi utitur Cicero [illegible] *divinam dicit [illegible]*

demonſtratur.

fuiſſe, ut alumnos ſuos commoneret, non a ſolis legibus ſcriptis jus petendum eſſe. Ait namque: a) *privatum jus tripertitum eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.* *Tripertitum*, non quod in tres partes dividatur; ſed quia ex præceptis naturalibus, aut gentium, aut civilibus, veluti tribus ſummis capitibus colligitur juſtum & injuſtum, in quo tota jurisprudentia conſiſtit, quicquid aliter Interpretes.

§. XXXV.

vindiciæ pro Ulpiano contra Thomaſium, & Leyſerum.

Hæc quum ita ſint, merito epobeliam cogere poſſet Ulpianus ab Interpretibus, qui in ipſum inclementius debacchati ſunt, & injuſtius de Jurisprudentia pronunciarunt, ac excogitare potuerit Ciceronis invidia adverſus JCtos, qua angebatur. Faſſus enim illa eſt, a graviſſimis viris civitatis principibus, ſtante libera Republica in poſſeſſione retentam, ſummoque ſemper in honore ſine controverſia habitam fuiſſe juris civilis cognitionem b) quam, impudenter vanitatum affectatricem, inſtar ambitioſæ artis, a leviſſimis hominibus pertractatæ traducunt. Undenam didicere, Jurisprudentiam ancillulam tantum, & pediſſequam eloquentiæ in libera republica fuiſſe? Video Ciceronem id tantum Craſſo minari, fore ut, dum novo, & alieno ornatu velit ornare juris civilis ſcientiam, ſuo, quoque eam conceſſo & tradito ſpoliet atque denudet, reddatque JCtum per ſe nihil niſi legulejum quendam cautum & acutum, præconem actionum, formularum cantorem, & aucupem ſyllabarum; juris ſcientiam vero eloquentiæ tanquam ancillulam, pediſſequamque adjungat.

§. XXXVI.

calumniæ Turnebi in Ulpianum argumenta. & Apollonii Tyanei obſcurus locus de Pythagoreorum invidia adverſus Stoicos.

Porro demiror Turnebum crediidiſſe, Stoicorum odio a Ulpiano confectam fuiſſe Jurisprudentiæ definitionem, poſteaquam eundem in illa juſtitiæ Stoicum deprehenderat. Æmulabantur fateor philoſophi, ſtudio ſuarum partium, aliorum ſectas, quod etſi pluribus memoriæ proditum ſit, nihilominus quadam Apollonii Tyanei epiſtola confirmabo, cui lucem aliquam ſimul foenerari poſſe opinor. Τῶν Ἐπικέρε λόγων ὁ περὶ ἡδονῆς

a) l. 1. §. 2. in fin. ff. de Juſt. & Jur.

b) Cic. de Orat. lib. I. cap. LV. conf. Schulting. in orat. culpandus ne ſit Tribonianus &c. poſt Jurisprud. Ante - Juſtinian. p. m. 903. & Fleurii libell. de elect. Studior.

ἡδονῆς, ſcribit ad Euphratem, ὐδενὸς ἔτι συνηγόρυ δεῖται τῶν ἐκ τῦ κήπυ, καὶ τῆς ἐκείνυ διατριβῆς. πέφηνε γὰρ ὢν καὶ κατὰ τὴν ςόαν ἀληθέςατος. εἰ δὲ ἀντιλέγων προκομιεῖς τὰς Χρυσίππυ σχολὰς καὶ δόγματα, γέγραπταί τι καὶ ἐν τοῖς βασιλικοῖς γράμμασι. Ἐυφράτης ἔλαβε, καὶ πάλιν ἔλαβεν. Ἐπίκυρος δὲ ὐκ ἔλαβεν. *Inter Epicuri ſermones, quem de voluptatibus ſcripſit, nullo amplius patrono indiget ex horto Epicuri, ejusque ſchola; nam etiam ſecundum ſtoam veriſſimus eſſe apparet. Quod ſi his contradicendo Chryſippi ſcholas & dogmata attuleris, ſcriptum aliquid extat & in regiis litteris. Euphrates accepit, & rurſus accepit; Epicurus autem non accepit.*

§. XXXVII.

Scilicet a Tarquinii Superbi ſaltem temporibus a) Romanis, non minus quam Græcis, turpe erat violentas manus ſibi inferre; & iccirco Epicurus, licet felicitatem in doloris vacuitate conſtituiſſet; maluit tamen infelix vivere usque ad LXXII ætatis annum, quo calculi doloribus e vita Athenis ereptus eſt, quam matura morte ſibi infamiam inurere. Stoici contra, nedum id vitio haud vertebant, ſed, Laërtio teſte, diffinierant, ſapientem ſe ipſum, ſi ita occaſio ferat, e vita educturum, ſi Patriæ nempe, & amicorum id exigant emolumenta, vel ſi nimio dolori obnoxius fuerit, vel ſenſuum uſu deſtituatur, aut morbo laboret deſperato. b) Contigit tunc cuidam Euphrati, graviſſimo philoſopho Stoico, impetrari a D. Hadriano, c) quod alioquin ob ſenectutem & gravem morbum, quibus ille laborabat, ſibi permittebant Stoici, ut citra ignominiam & infamiæ notam, cicutam biberet, eaque mortem ſibi conſciſceret. Hoc facto permotus Apollonius, alteri Euphrati ſcribens, modo commentitia non ſit hæc epiſtola, cum ſcribat Suidas, Apollonium ſub D. Nerva fatis conceſſiſſe, ſuccenſet Stoicis, eorundemque opiniones vellicat. *explicatur.*

§. XXXVIII.

Hæc Apollonius Pythagoræus adverſus ſtoicos; ſed adeo m... li

duntur, redarguiturque, quia non advertit, jurisprudentiam eſſe ſapientiam.

iniquo animo affectus eſſe non potuit Ulpianus adverſus ſectam, quam profitebatur, ut illius gloriam eripere voluiſſe, & jurisprudentiæ concedere credibile ſit; præſertim quum Philoſophorum dignitatem, non minus ac illam JCrum defendat & tueatur. a) Non repugno Jurisprudentiæ definitionem non nihil ex illa ſapientiæ habere; at tantundem ad ſapientiam jurisprudentia accedit; quare a Ulpiano: *civilis ſapientia* b) a Cicerone: *oſcitans & dormitans ſapientia* c) appellatur; & JCti Sempronius & Attilius ſapientes a Populo Romano vocati ſunt. n) Huc etiam illa Ennii trahit Contius. e)

Pellitur e medio ſapientia: vi geritur res,
Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro.

Nec aliter ſane eſt ſi, ut negari non poteſt, complectitur Jurisprudentia notitiam officiorum, quæ aut naturali ratione, aut moribus, & expreſſis legibus urgentur ad inveſtigandum quid juris & injuriæ factum ſit, committive poſſit. Neque tamen quicquam propterea ſapientiæ adimitur, cum ſatis ab juris arte diſtinguatur ob ea, quæ latius comprehendit, quæque diligentiſſime Seneca recenſet. f) Hæc de arte noſtra locuturus Turnebus advertere debuiſſet.

TANTUM!

a) l. 1. §. 4. & 5. ff. de extraord. cognit.
b) d. l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.
c) de Orat. lib. II. cap. XXXIII.
d) l. 2. §. 37. & 38. ff. de O. J.
e) in not. ad Inſtit. tit. I §. *quod ſequitur autem.*
f) ep. LXXXVIII. & ſeq.

INDEX AUCTORUM

Qui

illuſtrantur, explicantur, emendantur, &c.

numerus romanus ſectionem, barbarus paragraphum indicat.

A.

Accurſius II. 2. & 3.
Apollonius Tyan. II. 36. 37.
Ariſtoteles II. 14.
Auguſtinus Anton. II. 24. 25. 26. 27.

B.

Bachovius II. 20.
Balduinus I. 48.
Barbeyracius I. 4. 8.
Baſilica I. 42. 47.
Bolognetus II. 13.
Bynckershœkius II. 20. 21.

C.

Chryſippus I. 21.
Cicero I. 20. II. 35.
Conanus II. 13.
Concenatius I. 45.

D.

Demoſthenes I. 24.

F.

Feſtus I. 18. 20.

G.

Gellius I. 6. 21. 22.
Gloſſæ I. 47.
Grotius I. 48.

H.

Hagemeier I. 5. 6.
Heineccius I. 4. II. 8.
Heſiodus I. 12. 13. 14. 20.
Hierocles I. 6.
Hobbius I. 3. 4. 8.
Hotomanus I. 10. & ſeqq. & 42.
Huberus I. 31. 47. II. 20.

I.

Inſtitutionum tit. I. de Juſt. & Jur.

L. 10. eod. paſſim.
l. 1. C. de legib. II. 17.
l. 1. ff. de legib. I. 7.
l. 2. ff. de legib. II. 30.
l. 14. ff. ad l. Cornel. de ſicar. I. 7.
l. quisquis C. ad l. Jul. Majeſt. I. 7.
l. 1. ff. de SCto Maced. II. 30.
l. 3. ff. de Uſurpat. & uſucap. I. 49.
l. 225. ff. de V. S. I. 7.
Leyſerius II. 19. 35.
Lycklama II. 2. 3. 28. 29. 30.

M.

MS. Argentinenſe, ab Hotomano laudatum I. 42.
Marcilius I. 23. 47. 48. II. 2. 3.
Melenchthonus I. 24. 48.
Menagius I. 42. II. 11.
Muelen van der II. 13. 15. 16. 17.
Müller I. 5. 6.
Muretus I. 48.

N.

Noodtius I. 43. 45. 51. 52.
Noricus I. 42.
Novella LIX. Juſtinian. II. 9.

O.

Orphæus I. 24.
Otto I. 3. 8.

P.

Pandectæ Florentini I. 42.
Paterculus I. 6.
Paullus I. 7.
Pauſanias I. 21.
Plato I. 42. 45.
Porphyrius I. 3.
Pufendorfius I. 2. 3. 4. 6. 8.

R.

Ræyardus II. 13.

S.

Salvaghius I. 15.
Scholiaſtes Baſilic. II. 18.
Seneca I. 25. 26. 27. II. 15.
Simonides I. 42. 45.
Stoici I. 3. 11. & paſſim.
Symmachus I. 22.

T.

Thomaſius Chriſt. I. 2. 4. 8. II. 19. 35. 36.
Treverus I. 4. 8.
Turnebus I. 54. II. 19. 36. 38.

V.

Valerius Maximus I. 22.
Vinnius I. 48.
Ulpianus ubique
Voët Joann. II. 5. 6.
Vultejus I. 10. & ſeqq.

W.

Wæchtlerus I. 42. 43. 44. 46. 52. 53.
Weberus I. 4. 8.
Weſenbecius I. 5. 6. II. 24. 25. 26. 27.
Wolfius Hieronym. I. 24.

A61147846